


29


8

14 Aug. 1841

Schmidt 517 expl.

(8)ff [illegible] 2 [illegible]

1330 pp + (12)ff [illegible]



INSTAVRAT ANNO MDCXXXXI

IN SE
MAGNA
RVVNT

RVINARVM ROMAE
EPIGRAMMATA

QVIBVS
MIRANDA VRBIS AGNOSCVNTVR
SACRA VISITANTVR
NOVA ET VETERA
ELOGIIS
RECENSENTVR

EMINENTISS. SPADAE D.

ANDREAS MARIANVS BONON.



EMINENTISS. ET REVERENDISS.

CARDINALI SPADÆ.

Andreas Marianus fel.



Etamorphoſes Ruinarum Vrbis tragicum planè, & dignum poetico ſpiritu Argumentum. Siue enim priſcæ moles adhuc perfricta fronte minentur in cęlum, ſiue in nouis ędibus & Templis ſubſidant, pręter euntium ſemper oculos ád grande ſui ſpectaculum promouent, animoſq; improuiſis agnitionibus, & peripetijs vellicant. Huius argu-

menti eminentiora, Eminentiſs. Princeps, cõtraxi, & cùm quædã laudanda, quędã recordanda sũpſerim; omnia nomine tuo reddere conor eminentiſſima. Non auerſabitur, confido, audaces conatus Muſæ tuus ille Maieſtatis antiquę reparator Genius, qui Romanas virtutes, Chriſtiani roboris ſtabilimentò firmatas alto pectore inſtaurat, & regalibus ædificijs Vrbem, Patriam, noſtramq; Bononiam auget ac renouat. Imò, Princeps Eminentiſſime, cùm principes Italiæ, Vrbiſq; noſtræ Familias, & Domos, ampliſſimæ tuæ felicibus Hymenæis ſplendidè iunxeris, noſtrę pariter Prouinciæ, & Ciuitati longũ

pro-

promittis, & prorogas Patrocinium. Ego verò non ſemel humanitatem tuã expertus, meas ROMAE RVINAS authoritatis tuæ firmamento fulciendas committo, illaſq; impono Atlantæis humeris, quibus & cadentia releuas, & Romani cęli faſtigia ſuſtines, & (vt poeticè claudam)

Arduus in miſeras (cælum deſcendere gentes
Non ſinis, aut tactis ſordeſcere ſidera terris. Arg.

V. Bonon. Idibus Auguſti MDCXXXXI.

D. Thomas Dempsterus Scotus in Archigymn. Bon.
Prim. Humanarum Litterarum Professor
Doct. And. Mar. Phil. Lect. Pub. Anno MDCXXII.

Subdunt prisca nouis, non miscent sacra profanis,
In noua qui versus omnia versa docent.

P. Franciscus Remundus Gallus in Collegio Mant
Sacræ Scripturæ Lector
Andreæ Mariano Collegæ Anno MDCXXVIII.

Marmore lapsuras malè fulcit Roma Ruinas;
Nixa tuo calamo nulla ruina cadet.

D. Franciscus Sanabria Collegij Hisp. Rector,
Et Lector in Archigym. Bonon.
Andreæ Mariano Professf. Anno MDCXXXII.

Et quis Ruinas Vrbis istud nominet
Opus nouis insigne Metamorphosibus?

D. Paganinus Gaudentius Heluetius
Prim. Eloquentiæ Professor Pisis
And. Mar. Med. Lect. Collegæ Anno MDCXXXIV.

Qui sacra saxa liber vitali lumine donat,
Hunc longæuus honos, seraq; fama manet.

D. Bernardinus Bensign. Bon. Collegij Theol. Decan.

Romana, Mariane, fuit nil pulchrius Vrbe,
Pulchrior est numeris nunc tamen ipsa tuis.

VRBANO VIII.

AVTHOR.

SI tua floreſcens fouet incunabula Flora;
Lactea Nutricis Lilia paſcit Apis:

Siue Lyra reuoces Mauortia ad arma Camęnas;
Mellea Farneſij Lilia paſcit Apis:

Siue caput primùm ſacra Nazaret Infula cingit;
Candida Nazareum Lilia paſcit Apis.

Mitteris ad Gallas ſi Romæ Nuncius oras;
Regia Gallorum Lilia paſcit Apis.

Princeps Felſineam ſi tandem vergis ad Vrbem;
Aurea Felſineum Lilia paſcit Apis.

Dũ Romã remeas, quid Apis tua paſcit in Vrbe?
Florida deficiunt Lilia, paſcat Oues.

O Vtinam qui Petrus Oues tibi ceſſit & Agnos,
Cedat adhuc annos Multiplicetq; tuos.

LECTORI.

Act. 17. ARAM apud Athenienses Ignoto Deo dicatam Paulus adiudicauit DEO, & simul veteris Poetæ versu, quo Dei genus dicimur, nouę Fidei fidem faciebat. Nouerat Gentium Doctor quomodo declamandum in Areopago, dum ad meliores sensus hinc traheret profani Vatis dictum, inde pia Metamorphosi torqueret Fortuitā inscri-

D. Hier. ptionem in Fidei argumētum. Habent nescio quid publicæ authoritatis Poetarum carmina, & concinnę rerum transformationes improuiso quodam numine humanas mentes afflant, & feriunt: non enim sine stupore ea verba percipimus, quæ iā diù concepta, & penè præuisa suis apiè numeris in rem præsentem cadunt; nec si-

ne æterna constitutione id opus exurgere credimus, quod prioribus seculis sibi fundaměta disponeret, & adhuc absens venturis factis vmbratili forma præluderet. Prolusum frequenter his vmbris apud illos Prophetas, & Patres, quibus omnia in figuris contingebant, & de Bethleem castello, vbi erat Dauid, venit Christus, & ex eodem puteo petebat aquam, vndè Iacob aquam hauserat, & in eodem monte pro nobis victima offerebatur, vbi anteà vnigenitus Isaac cesserat in holocaustum.

Sed nusquam fortaßè alibi terrarum aptiùs hæ hominum rerumque Metamorphoses se nobis in theatro explicant quàm Romæ; vbi si priscorum Ciuium facta consideres, admireris absolutum humanę virtutis exemplar, atq; in Mutijs,

& Re-

& Regulis, & in deuotis publicæ saluti Curtijs, & Decijs inspicias quædam rudimenta Christianæ pietatis. Agnouit præ cæteris versatiles huius Scenæ conuersiones ille ingeniorum Pater Augustinus, dũ super Romanorum ruinas gloriosam Dei Ciuitatem fundaret; vt si virtutes, quas illi pro ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei gloriosissima ciuitate non tenuerimus, pudore pungamur; si tenuerimus, superbia non extollamur. Si verò ad augustiora Vrbis loca nos conuertamus, quid frequentius intueri libet, quã priscas moles, & templa à veteri superstitione vindicata, & in veri Dei Sanctorũq; Martyrum titulos ritu sanctiore trãslata? vnde præsentem adoramus Romam tot suorum Ciuium purpuratã paludamento, non minus debellatis gentium Dijs, quàm pro-

D. Aug.

stra-

ſtratis olim gentibus toto terrarum orbe triumphalem. Sic, dicebat Theodoretus, ſuos mortuos Dominus Deus noſter in tẽpla pro Dijs veſtris induxit, atq; illos quidem caſſos gloria vanoſq; Deus reddidit, ſuis autem martyribus honorem ipſorum dedit. D.Theo.

Tanto itaq; illectus argumento RVINARVM ROMAE titulo complectar ſparſa magnitudinis Romanæ veſtigia, & clariora Chriſtiani nominis monumẽta; atq; hoc maximè vellem, vt è veteris recentiſq; rerum ſtatus collatione aliquod Epiphonema emineret, quod è ſacris memorijs non inſulſam pietatem exprimeret, è Romanis ruderibus maieſtatem ſpiraret non indecoram. Sic vtinam ingenij vires haud impares mẽtis voto reſponderent, non minus ſpecioſa appareret

Ro-

Roma meis in Ruinis, quã suis in triumphis: neq; ego Parnassiæ arbori inuiderem, si repentes è sepulchris hederæ meæ fronti inserperent, vt meum erga Communem Patriam debitum suis saltẽ frondibus adumbrarent.

DE ROMA.

Iani Vitalis Panorm.

QVi Romã in media quęris nouus Aduena Roma,
  Et Romam in Roma non reperis media;
Aspice murorum moles, præruptaq; saxa,
  Obrutaq; horrenti vasta theatra situ.
Hæc sunt Roma: viden velut ipsa cadauera tantæ
  Vrbis adhuc spirent imperiosa minas?
Vicit vt hæc Mundum, visa est se vincere, vicit,
  A se non victum ne quid in Orbe foret.
Nunc victa in Roma victrix Roma illa sepulta est,
  Atq; eadem victrix, victaq; Roma fuit.
Albula Romani restat nunc nominis Index,
  Qui quoq; nunc rapidis fertur in æquor aquis.
Disce hinc, quid possit Fortuna. Immota labascunt,
  Et quę perpetuò sunt agitata, manent.

AR-

ARGVM. ET ORDO.

QVæ duo ſpectabilem Romã faciũt, RVINAS VETERES, & SACRAS MEMORIAS, Tribus Libris perſtringimus, piè & poeticè viſitamus. Primus liber è Porta D. Pauli ſecundũ mœnia progreſſus obſeruat, quę circà Pomœrium, trans Tyberim, & in Inſula ſunt Inſigniora. Secundus è Vaticano tendit in Vrbem planã, in antiquis ruderibus eminẽtes Baſilicas ſuſpicit, SS. Reliquias, & Sepulchra reueretur. Tertius è Capitolio per ſeptem montes ambulat, priſcas ædes mutatas nouis templis agnoſcit, Ruinarum Romæ Narratiunculas, & Elogia terminat.

DI FRA CIRO
DE' SS.[RI] DI PERS
Caualiere Gierosol.

Roma Vittoriosa contro l'altre Nazioni superata solo da' Popoli Settentrionali.

Imitazione dal primo Epigramma seguente.

Roma i tuoi Regni l'African souente
Da l'adusto Meriggio armato infesta,
Ma son le sue da le tue glorie spente,
Sì ch' al giogo Latin piega la testa.

Vinto le Palme à te cede Oriente,
E gli Elefanti à i tuoi trionfi appresta,
De' Barbari, che scalda il Sol Cadente
Il pertinace ardir domato resta.

Ma in van contra Boote il capo estolli,
Di Borea à le procelle in van t'opponi,
Troppo ei raddoppia à tua ruina i crolli.

Douean l'Aquile solo à gli Aquiloni,
Solo à l'Orse la Lupa, e i Sette colli
Ceder' à i sette gelidi Trioni.

RVI-


DE ITALIA
SVPERABVNT
EXTREMV
PERIBVN
RVINARVM ROMAE
METAMOPΦΩΣΕΜ

RVINARVM ROMAE

EPIGRAMMATVM.

LIBRI TRES.



LIBER PRIMVS.

VRBEM ROMAM viſitaturus, vbi primùm pedem ponam,non ſatis ſcio; nullus enim ferè locus in Vrbe eſt, qui aliquo veteri faſtu non turgeat, nullus angulus, vbi Chriſti Martyrum ſanguis gloriosè non purpuret, *nullum*, quod de ruinis Troiæ ille cecinit, *ſine nomine Saxum*: an ergo protinus arcanum aliquod exacti temporis miraculum inſcius præteribo? Sacrumuè profanis pedibus temerè proculcabo? An eò audaciæ deueniam,vt ſperem res Romanas breui gyro complecti, & fatalia tantorum operum fila quaſi è Parcarum colo deducere, atq; adeò immortales huius Cęli Stellas dinumerare? Non ne Romani faſtus mera Poetarum figmenta ſeris à nepotibus cenſeantur, ni ſemeſa pendentium molium marmora fidem aſtruant veritati? non ne, vel ipſo D. Hildeberti carmine:

Cura Hominum potuit tantam componere Romã,
Quantam non potuit ſoluere cura Deùm?

Itaque ad ſe oculos hinc primùm rapit ſuperſtes Ruinarum maieſtas,quaſi amatus quidam communis huius Patriæ fumus, illinc noſtras mentes alliciunt Sacra Templa,& tumuli, vnde Religionis noſtræ ſplendor exilit certiſſimus: Vtcunq; erit, quod primùm in oculos incurret, libero ſpiritu ſequar; & ſi minus potero ex fumo dare lucem, enitar ſaltem, vt è ſublapſo alicuius ędificij veſtigio breuis fulgor erumpat. Modo tu alma Parens tuæ magnitudinis, Roma, exiles Splendoris tui radios in me ſenſim inſtilles, dũ ego circa tuas ſepulchrales Vrnas inſtar volitantis vmbrę apparebo, mox appoſita inſcriptione ſubſiſtam, atq; identidem per ruinarum gradus procidam ad veneranda Chriſti Martyrum monumenta.

Verum age, Chriſtiane hoſpes (te enim comitem ſeligo breuis huius triduanę peregrinationis) viſitemus, ſi libet, iſta, quæ vulgus vocat Mirabilia Romæ, agnoſcamus ex his ruderibus Vrbem, quam veteres illi Patres videre geſtiebant inter obſequia fortunæ ferociter ſuperbam ac trimphantem: metiamur his veſtigijs & hoc vngue Leonem, ni mauis dicere Lupam illam, quæ Regna vtriuſq; Solis calcabat, famulæ inſultabat Africæ, quæ armis ſubacta ciuilibus, ſuorum Imperatorum delicijs emollita, populis ſeptentrionalibus Gothis, & Vandalis in prædam cecidit.

DE

1 DE IMPERIO ROM.

ITaliam contrà Libycis plena Africa Regnis
Ter caput erexit, ter reuoluta solo est.
Sæpe Oriens Vrbem ferro delere parabat;
Sed motas Aquilæ perdomuere minas.
Sæpius occidua concurrens Mundus ab Ora,
Oppositæ fugit Martia Signa Lupæ:
Solùm Aquilo superare Aquilas, solùmq; niualis
Sternere Romanam debuit Vrsa Lupam.

ET quis non execretur illos Titanas hùc ab Arctoo frigore septemq; trionibus compulsos, vt ꝑ septem gradus montium suis manibus Cælum rescinderent, & è Capitolij Regno Iouem detruderēt. Ausi quidem immane nefas duritiem marmorum tàm peruicaci ferro tentarunt, vt impressa in Vrbis cadauere post mille annos nō coaluerint vulnera, & tandem ipsa rerum domina appareat, ruinarum seges, ludibriū fortunæ, trophęum temporis; & tamen adhuc fracta doceat, quàm magni fuerit integra. Barbari.

2 ROMANIS.

PArcite, Romani, vestras lacerare ruinas;
Fabula ne fiat, quæ fuit historia.

VIuūt tamen adhuc inextincta in nobilibus Romanorū, & Italorū pectoribus semina illa pri- Vrbanus VIII.

ſcę virtutis: viuunt in generoſo pectore VRBANI, dum contra inſultus exteros munit Septimontium, inſtruit Armamentarium; horreat licet armorum fulgorem plebecula triſti tantum nata ſeruitio. Et nunquid omnem Militem Dominus in Petro exarmando diſcinxit?

3 P. R.

PRò vilis populus! vix viſa tremiſcit ad arma,
Degener à quo te, Plebs, ſata Marte refers:
Inuigilat tibi cura Patrùm, Procerumq; ſupremus
Prouida pacifica præparat arma manu.
Quis velit exarmare Petrum, quem Chriſtus habere
Iuſſerat hinc claues, iuſſerat hinc gladium?

Nouę Munitiones. TIment procul etiam hoſtes Chriſtiani nominis illorũ ictus lapidũ, quos in noua propugnacula audiunt componi: perſentiunt alto ingeſtæ telluris pondere ſua Vrbis capiendæ deſideria conſepeliri; Contabeſcant igitur, & nobis vanas clades ſuis fingant è latebris, vel exiliant, vt canibus iaceant data præda latinis; nullus enim hanc terram inſano qui Marte petiuit, lætatus violaſſe redijt.

4 DE SITV VRBIS.

PRouida ſelegit ſapientia Numinis Vrbem,
Hic ſtabilis ſedem condidit illa ſuam:
Quam neq; vis hominum, quã perdere nulla pericla,
Nec poterunt miſtæ viribus ignis aquæ.

Ar-

Ardeat æſtiuis veſana Canicula flammis,
Effluat inuerſo Tibridis vnda vado.
Ceu petra flammatos Eccleſia reſpuit ictus,
Ceu Nauis refluas præualet inter aquas.

EN Heſperidum fluuius regnator aquarum, qui plura penè miracula voluit, quã vndas, & meminit Coclitem de ſuo ponte Romã clypeo protegentem; Clęliam vel ſine ponte ad ſuos reducem; Tutiam hauſta cribro aqua ſuſpectam Plutoni, ne Belidum pœnas extingueret: ſed tu, qui obſequioſus pio conatui, Veſtalis Claudiæ nauem littori famãq; trahenti Virgini ſuam applicuiſti, quomodo monitor auctu religioſus diceris, & tamen velut inſanus tuo te non contines lecto, dum ſacra, & profana crebris inundationibus intras, & polluis? Tiberis.

5 TIBERI.

IMpie Tibri, ſacram toties qui perluis Vrbem,
Templaq; polluto turbidus amne reples.
Perfide, qui lapſos reuocas ſine murmure fluctus,
Atq; tuæ fidei credita tecta ruis,
Hos ne trahis mores irrelligioſus ab illa
Roma, quæ mundum relligioſa docet?
Qui toties memoranda iteras βαπτίσματα *Romæ,*
Sacrilegum propria te profiteris aqua.

INtuemur fugientem ex Vrbe fluuium, & audimus confuſũ fragorẽ aquæ ad ſemirutas in me- Ruinę Sublic.

dio alueo pilas allidentis. Hem sunt vestigia Pontis marmorei, & Aemilij, antea Sublicij; illius Pontis, qui suo casu ambitiosè sustinuit Romam, ne caderet in manus Regias Porsennæ, & sui Curatoris nomen in Pontifices posteros propagauit?

6 RVINAE PONTIS SVBLICII.

ECquis Sublicij spectet vestigia Pontis,
Nec mea, vel claudi Coclitis acta canat?
Altè alij exurgant; casu potiore iacebo;
Stabo ne? si Patriam, dum cado, seruo meam?

Septem Colles.

VNo obtutu suspiciamus septẽ Colles, ipsas Cęlorũ Zonas primęuo splẽdore lacessentes, nũc sensim defluendo planam Vrbem sepeliunt. Circũspiciamus fossas, Turres, & mœnia si non illa, quæ Romulus obiecerat Remo non transilienda, saltem ista, quæ pariter impunè nemo transilijt.

7 DE MOENIBVS, ET COLLIBVS.

QVid Turres, quid fossa iuuat, quid murus, & Agger?
Quid septem geminæ profuit Arcis opus?
Si fortes animę, si fortia pectora desint,
Vrbibus hæc fiunt nil, nisi terra grauis.
Roma sibi testis, quæ septem Regibus orta
Creuit, & è totidem Collibus alta cadit.

Aggeres, & Cloacę.

NVnc si redeat vterq; Tarquinius, si remeẽt illi Reges, & sua opera, suos Aggeres, montibusq; im-

impoſitos Mõtes diſquirãt, ſi ſubterranea aquarum emiſſaria nauibus, & curribus peruia rimentur; non ne credantur giganteas fabulas, & inferorum vada quærere fabuloſo Charonte tranſuehenda?

8 DE AGGERIBVS TARQVINII.

AGgeribus vallare Vrbem, circundare foſſa,
Montes infernis vallibus ingerere;
Tarquinij fuerant operoſa inuenta ſuperbi,
Crudus in interno viſcere fodit humum;
At malè fundabat Regnum per vulnera terræ,
Cui dederas labris oſcula, Brute, tuis.

SEd vnde auſpicatius iter exordiamur, quam è Porta D. Pauli è monumẽtis Romani Ciuis, & Principis gentium Magiſtri? Aſſurgit Mons ille Teſtaceus in media planitie conflatus è Vaſorum teſtis: & Paulus extra hanc Portam vas electionis confringitur. Aptus erat hinc olim extramuralis campus ad explicandas Militum phalanges; ideo quidam volunt vices Martij ſuppleuiſſe, & hùc ab Auentino Armiluſtrium trahunt, & hìc Armamentarium collocant, vbi publica arma reponerentur: ſed vbi vbi fuerit, in Cęlio, in Carinis, aut alibi, hæc inſcribantur. Mons Teſtaceus.

9 DE ARMAMENTARIO.

HInc ſua Romanus Miles depromperat arma,
Hùc ea captiuo victor ab Orbe tulit:

Risit ad Antipodas, refugumq; lacessere Mundum
Noluit, aut veteri sollicitare nouum;
Sat fuit Europam, Libyen, Asiamq; tenere,
Cætera Dij nostro supposuere pedi.

Mænia.

NOn licebat Pomeriũ proferre nisi ijs, qui Mundi partẽ Romano adiecissent Imperio: Igitur Orbis terrarum armis occupandus limes erat Vrbis proferendæ. Verum ad quas angustias recurrissent hæc Mœnia, si lapsa, & constricta Republica pari passu debuissent corrigi? Illum tamen ferè obtinent situm, quem præ cæteris restituere Honorius, & Arcadius suggerente Stilicone, cuius perfidia Vrbs primùm à Gothis capta est.

10 DE PORTIS.

HAs veteres Portas Stiliconis cura refecit.
Proditor ingressus protulit hosce Gothis.

Port. S. Pauli.

POrta hæc olim Tergemina, licet latiùs à priscis aberret vestigijs, ea ipsa est, ex qua tres Horatij cõtra Curiatios misso in cõpendium bello processere. Nunc nomine D. Pauli insignitur, qui hac Ostiẽsi via caput flexit sub gladio, & tres fontes exciuit, quos inde auxerunt suo sanguine Christi Martyres ibidem confossi.

11 DE PORTA D. PAVLI.

SI Via, si Porta hæc vos ducit ad Ostia Tybris;
Ducit, vbi multa est hostia cæsa Deo:
Si propè Testarum Montem, propè vasa locatur;
Concidit hac Paulus, vas quoq; Paulus erat.
Dicite Tergeminam numero de gentis Horatij,
Tergeminam terno dicere fonte volo.

PYramis illa Cęstij septemuiri Epulonum muris inclusa est, quãdo Mœniũ ambitus sæpe distractus in his tandem vestigijs conquieuit, & intra Vrbem Horatium Campum, vetus emporium, & Doliola coarctauit. Imitatus est Epulo profani Seculi Sacerdos Aegyptios Reges, qui Pyramides reponendis frumentis destinatas in sua sepulchra effusissimis sumptibus deuoluere. **Pyramis Cæstij.**

12 DE PYRAMIDE CAESTII.

HOrrea Niliacæ messis, Regumq; Sepulchra
Cæstius ad Tiberim busta superba locat.
Aptiùs haud poteras Epulonum maxime Cæsti,
Quam sub Pyramidem subdere pingue latus.
Vt tibi cum desint epulæ, frumenta supersint;
Cum sitias, fluuio de propiore bibas.

SEruatur adhuc antiquus mos, vt extra Tergeminã portã pauperes stipem quęrant. Vlterius **Saluat. Aedic.**

ad dexteram progreſſuris apparet Saluatoris Aedicula. Locus eſt vbi Plautilla ſanctiſſima è Flauiorum gente fœmina velum porrexit Paulo ad ſupplicium pergenti, vt ſibi Hebræorum more plectendus capite, oculos velaret.

13 MEMORIAE PLAVTILLAE.

VElum oculis Pauli dedit hìc Plautilla tegendis;
Ad Dominum caſſus lumine Paulus eat.
Venerat ad Chriſtum factus quaſi cæcus, & idem
Si ſine luce venit, ſic ſine luce redit.

SS. Pet. & Pau. Sep.

ALtera D.Pauli apparet memoria, quando ſeparatus à D.Petro tēdebat ad aquā iugiter manantem: Petrus verò ad Ianiculi faſtigiū ſenili paſſu properabat: paruo campi ſpatio diſiūctus à Scipione Annibal pacem petijt incaſſum; at Petrus, & Paulus ſub ipſis Romæ oculis, in hac media via complexi, & ſeiuncti mutuam pacem ſanxerunt, illamq; Romanæ Eccleſiæ perpetuò duraturam verbis vltimis reſignarunt.

14 SS. PETRO, ET PAVLO SEPARATIS.

HInc Paulus quaſi Vas manātes pergit ad vndas;
Ianiculum ſuperi Ianitor Orbis adit.

Almo.

PRoh' quam longè proceſſerat regreſſurus Pōtifex, vt Paulū comitaretur? Occurrens ille Riuus Almo eſt, in quo alma Cybele, neſcio an proprijs,

an ſuorum Sacrificulorum ſordibus inquinatior annua ſe luſtratione tergebat. Et quis nouit, an hùc tenderet furialibus amoris facibus concitata, vt inſanos pectoris æſtus extingueret, quos Athis in pinum conuerſus inuſſerat?

15 DE ALMONE.

LVbricus in Tiberim raucis fluit Almo ſuſurris,
Multa tamen tenui murmure lympha ſonat.
Perſonat Idæos plauſus, crepitantiaq; æra
Et lotam parui fluminis amne Deam.
Perſonat amentes magnæ genitricis amores,
Sortitumq; comas Athida pinnigeras.
Fortè morabatur ſubeuntia carbaſa Tybrim
Athide mutato credula poſſe frui.

SVper huius Riui aquas, quæ nunc truſatiles rotas verſant, olim in hac ſua vinea genibus flexis B.Franciſca nobiliſſimũ Oliuetanæ familię germen inſtar olei enatauit, quæ aliàs dum laudes Virginis aperto Cælo ſpargeret, à ruentis pluuiæ impetu intacta permanſit. **Vinea S. Franciſcę.**

16 ALMONIS PISTRINO.

ALmo terit Cererem, ſi terſerat ante Cybellem;
Hinc genus eſt hominum, ſi genus inde Deum.

ERecta columna Cruci, olim Vulcano, nobis ſuggerit extramurale Tẽplũ huius incendiarij numinis **Columna Crucis.**

minis abiecti è quadratæ muris Romæ, atq; adeò ab ipso Vrbis Veneris, & coniugis amatæ cõmercio.

17 VVLCANVS EXTRAM.

MOenibus exclusus, superis inuisus, & imis,
Fumeus ignota claudar in Aede Faber?
Procidet ad Venerem quisquis, tacitusq; videbor
Ciuibus vxorem prostituisse meam?
Rursus an expecto mea probra reuelet Apollo?
Ah' mea flamma meum vindicet opprobrium.
Ibo, ibo, insiliam repetitis ignibus Vrbem,
Quæ negat Vrbs Templum, iam mihi tota meũ est.

S.Paul. Caput

EN Basilica D.Pauli, quæ ferè sola è Constantini monumẽtis primis inhæret vestigijs supra Cemeteriũ Lucinæ condita, situ amplissima, Apostolorum reliquijs veneranda, in Asylum Romanorum ab ipsis Barbaris sub Alarico Romam vastantibus reseruata. Compara nunc Asylum antiquum cum memorijs Apostolorum; ibi amissa, hìc seruata libertas, ibi clausa, hìc interdicta captiuitas.

18 AD BASILICAM D. PAVLI.

SIc Deus in Mundo ludit, sic fictile Paulum
Informas dia transtulit arte nouas.
Prodijt in scenam, mox omnibus omnia factus,
Qui propè pro Paulo cœperat esse nihil.

Fit

Fit cæcus, mox cuncta videt, Cœloq; vagatur.
Hinc tetrico clausus carcere flagra subit.
Explet sanguineis suprema securibus acta,
Subdere cui fasces postmodò Roma cupit.
Vixq; trecentenis capiunt Templa ampla columnis
Quem tulit exiguo pendula sporta loco.

PRæ cæteris hic reuerere duo Capita: alterum Ananiæ,qui Paulũ doctorẽ gentium erudiuit: alterum Samaritanæ,quam Christus ad fontem Iacob in sui traxit obsequium. En Baculus cui Peregrinus prædicator innixus adiecit Christo Prouincias, & Regna: En Catena qua perductus ad Neronem,vt vinctus agnus ad solutam feram. **Ananjæ.**

19 AD CAPVT S. ANANIAE.

DIue, Magistrorum; docuisti, Anania, Magistrũ
Non caput id fuerat, ni Caput istud erat.

20 AD CAPVT SAMARITANAE.

AD fontes Iacob, & Pauli tibi deniq; vitam
Christus in æternam est fons salientis aquæ.

21 BACVLO D. PAVLI.

ERrabat Paulus per dura, per aspera victor:
Quid ni, si fueras, scipio dure, comes?

CA-

22 CATENIS D. PAVLI.

HIſce catenatus Paulus ſtetit ante Neronem:
Non erat ille Lupus, ſed fuit iſte Leo.

Aquæ Saluiæ.

AD aquas ſaluias properamus: cõuenere hùc ab Oriente Anaſtaſius, ab Occidẽte Vincentius, tanquam oppoſitorum Mundi cardinum Soles gemini in Romano Cœlo coniuncti, inter effuſas ſacri vaſis aquas ſuum fecere ſolſtitium.

23 SS. VINCENTIO, ET ANASTASIO.

SPreuit adoratum ſub Eoo cardine Solem,
Gloria Perſarum Martyr Anaſtaſius.
Vincere ſuppoſitos potuit Vincentius ignes,
Quà lauat occiduos Solis Iberus equos,
Temperet ardores vt Solis, & ignis vterq;
Hos latet ad colles, & colit hos latices.

Tres Fontes D. Pa.

TEmplum è tribus medium D. Pauli fontibus ſacrũ eſt: hos elicuit amputatũ Apoſtoli caput ter iterando nomen IESV, & lac pro ſanguine dedit; nec mirum, ſi abundet lacte nutritor Eccleſiæ; & ſi Caput olim tertio receptum Cœlo, illuc, vel abſciſſum, tertio ſaltu remeare contendat.

24 DE FONTIBVS D. PAVLI.

VOs veneror viuacis aquæ fontana fluenta,
Quæ peperit ſaltu ter ſaliente caput.

Vo-

Vota Poetarum, calamiq; valete loquaces,
E quibus innumeri fontis origo fluit.
Roma vale, has quoniam ſio paganus ad vndas,
Et tamen è Pauli vaſe fluenta bibo.
Nil moror æternos perfracto vaſe liquores
Sumere, tu mihi vas, tu mihi, Paule, liquor.

COncludimus trophęa Pauli inſpecta in illo angulo ferreis incluſa cãcellis Columella, ad quã inclinauit ceruicem in ipſa cæde ſplendidam, & cãdidatam potius quàm cruentam. Ad huius igitur Columnæ breuitatem ſe compoſuit ille gigas, qui paulo ante ſuper aſtra caput euexerat: flexit genua, vt decentius iterum Cœlos intraret: inclinauit caput, & ſe totum contraxit, vt è terra, velut è matris gremio nuper Deo genitus infans prodiret. **Colum. S. Paul.**

25 DE COLVMNA D. PAVLI.

DVm caput ad paruam flexiſti Paule Columnam,
Altior in terris nulla Columna fuit.

PRòh quot oſſa hic viſuntur coaceruata eorum Chriſtianorũ, qui cum Thermas Diocletiani ab ſoluiſſent, ad conſtitutam ſibi in Cœlis Regiam Zenone Duce conuolarunt. D. etiam Bernardus defunctorum animas per horum gradus oſſium, quaſi per ſcalam ſurſum vidit aſcendentes. **Oſſa Mar.**

DE

26 DE SCALA COELI.

IN Iouis excidium terræ generosa propago
Artubus hìc positis composuistis iter.
Hinc quoq; construitis tenebrarum in carcere clausis
Mentibus ad superum Regna beata gradus.
Quid super impositum memoremus Pelion Ossæ?
Vestra super Cœlos altiùs ossa vehunt.

V. Annunciata.

VErgimus ad Ecclesiam Virginis Annuntiatæ, ibiq; inter cætera lapidem reueremur, quem lacrymis perfudit Christus, cùm suis oculis Hierosolymam citò subuertendam subiecit.

27 LAPIDI FLETVS I. C.

HVnc supra Lapidem fleuit, dum mœnia Sion
Præuidit ferro discutienda Deus.
Ecquid erit nostros si lustret deniquè muros,
Nec fleat, & nostro rideat interitu?

Via Appia

AD Appiam Viarũ reginam pergimus per hos squallétes agros, ex quo laureatis Serranorũ aratris coli desierunt. Transacta Ardeatina via apparet hæc Appia ab illo Cæco Appio Claudio silicibus constrata, prolixo Romanæ magnificentiæ exemplo, & cæterarum sternendarum amplissimo exemplare.

DE

28 DE VIA APPIA.

APpius ille Vrbis Censor, cognomine Cæcus,
Hoc lato Capuam tramite traxit iter.
Aduexit silices, hos firmo margine iunxit,
Composuit terras, ponte subegit aquas.
Proh quam magna viæ Censorem cura momordit!
Talia miraris? Desine: Cæcus erat.

QVæ vox interim ad nostras aures resilit? aut est Echo, aut vmbra Cæciliæ coniugis Crassi, cuius strage conuulsa Respublica malè vindicatis Manibus ciuili sanguine parentauit. **Sep. Cæciliæ.**

29 SEPVLCHRO CAECILIAE.

DIuitis hoc vxor Crassi tumulata sepulchro,
Quin lapso tumulo non tumulata gemit.
Percipe quot sonitus iterata hinc voce resultent,
Quis scit an occisum sic fleat illa Virum?
Nunc moneor Crassi, quòd inulta errauerit vmbra,
Eruta quando piæ Coniugis vmbra dolet.

HIc olim sepulchrum Horatiæ tergeminorum sororis. Interemit Horatius sororem suã Virginem profusiùs, quam illa ætas debebat flentẽ Curiatij sponsi mortem. Istud factum anceps antiquitas excuset, aut damnet, dum nobis liceat argutum D. Augustini dictum, ad Sepulchralem extinctæ Virginis vrnam in carmen deducere. **Sep. Horatiæ.**

30 AD SEPVLCHRVM HORATIAE.

QVæ pia promissi deflebat Horatia lethum
Coniugis, indigno fratre perempta iacet.
Ne tribus extinctis Curiatis Roma superbi,
Tertia mors Albæ te facit ista parem.

Via Numicia. LIber es Hospes si per Numiciã viam ad Numicij fontem vis progredi: tumebat in fluuium, quando Aeneam rapuit decreuit in fontem, & exaruit: fatum commune ijs, qui magnorum Principum factis intersunt. Non vnum Aeneæ sepulchrum ob plura virtutum merita ostendebatur, nunc nullum est.

31 SEPVLCHRO AENEAE.

AEneam profugum Troia rapit vnda Numici:
Ritè fugit flammas, sed perit inter aquas.

Temp. Vrbani I. VRbanus Octauus Templum olim Bacchi Vrbano primo restituit, dum procul Vrbe, hederis, & vitibus obsitum ad antiquas profani Numinis vmbras recurrere videbatur.

32 TEMPLO S. VRBANI P.

VRbanus Aede Liberum
Priuat; procul vindemia;

Au-

Auferte vites, pampinos;
Ne, qui ſacrum ieiunium
Statis diebus ordinat,
Bacchus putetur ebrius.

CIrcus Caracallæ dictus, propè proximam Caſtri Prętorij fabricā conditus, ludis, & exercitationi bellicę deſeruiebat. Neſciuit in pace Romanus miles quieſcere, quin quaſi per iocum in his gradibus ſedens intueretur cędes, & ſanguinem. Circus.

33 CIRCO CARACALLAE.

EN rota Fortunæ quantos hæc verſat in orbes;
Temporis en fluxu temporis acta fluunt.
Labitur infelix certo ſine nomine Circus,
Editus in priſcæ gymnada militiæ.
Feſſus in his gradibus tranſegerat otia Miles,
Cum rediit domito victor ab Orbe domum;
Et ne deficeret Marti exitiale tributum,
Repperit in mediis ſeria fata iocis.

TEmplū incipit apparere inuictiſſimi Ducis Sebaſtiani ſuper inſignes cryptas Calliſti; Subterraneo in loco Platonia dicto ad Catatūbas Apoſtolorum corpora diu permanſere. Viſenda nobis incurrit in oculos rudis è marmore Cathedra, quam Stephanus primus Pontifex ſuo, non victimarum ſanguine conſecrauit. Viſitur Columna, cui D. Sebaſtianus hæſit ſagittis transfixus. Eccl. S Sebaſt.

34 DE CATHEDRA S. STEPHANI.

ROma, thronũ Stephani ſupplex venerare cruẽtũ,
Noſce tuos viſo ſanguine Pontifices.

35 AD PVTEVM SS. APOSTOLORVM.

HOc Petrus, & Paulus Puteo iacuere repoſti;
Nec ſtupor, in Puteo ſi petra, vaſq; latent.

Cryptæ Calliſt. SI non puduit Gentilium Deos, Matrem habuiſſe barbaram, & pro parente adoptarunt ſibi Matrem Terram: ſi non pęnituit Græcos, equo abiegno claudi, vt ſuper Ilium flammas, fumumq; lacrymas eliciturum ſpargerent: ſi Romanos rerum dominos non tæduit Caſæ Romuli paſtoralis; nunquid Chriſtianos pigeat, ſuæ Religionis exordia his terræ viſceribus, & clauſtris, anguſtis quidem Templis, in æternum tamen duraturis auſpicatiſſimè concepta?

36 DE ECCLESIA S. SEBASTIANI.

QVid patrium iactant Romana inſignia Martẽ,
Omnia ſi Getico ſtrata ſub hoſte iacent?
Dignius inuictum referant in bella Sebaſtem;
Præſidet hic nobis, imperet ille Getis.
Mars extra muros tua Templa relinque Capenos;
Maior in his regnat, nec minus arma tonat.

Mars

MArs quidem Geticis qui præſidet aruis, plus tribuit ſuis barbaris, quos hùc tranſmiſit ad prędã, quàm Romanis, qui patrium Numen tã celebri Templo coluere per hanc viam. Nulli exterarũ nationum reliquit in Auſoniæ gentis viſcera altiùs penetrare, quàm Gothis. Non Brennus, non Annibal promptus enſes acuere fraudibus, fidem demergere Mari, & Alpes natiua Italiæ propugnacula euertere: non Annibal, qui dum ſibi Tiberim captiuum promitteret, in aſpectu Vrbis caſtrametatus turpiter retroceſſit. Roma cum timore notauit locum, & Aediculam Ridiculi impoſito nomine ſugillauit. Temp. Mart.

37 AD AEDICVLAM RIDICVLI.

POſt fractas Alpes ſtetit hic Carthaginis vltor
Annibal, & viſa ceſſit ab Vrbe domum.
Ergo ne ſuſpexit ſublimius Alpibus Arces
Romanas muros compoſuiſſe ſuos?
Ergo ne, quò ſolùm Capitolia celſa videret,
Redditur effoſſo luminis Orbe Cyclops?
Sic Ducis irriſi vanos ſpeculata furores
Hæc loca Ridiculi nomine Roma notat.
Africa fœta nouis monſtris, eat aucta latinis:
Miſit Ridiculum, reddimus vnoculum.

ITa eſt: hoc meruit ille, qui duce ſub Cęco militabat; Campanæ voluptatis illecebris irretitus didicit ſuam Venerem pro Troianis vulneratam, pro Annibal.

Romanis feliciùs incruentam. At nunquid Maurus insolens Mauritanum existimauerat Martem, aut Africanam Aphroditem? nonne muliebris formæ gladio citò confoditur, qui subito Martis spiritu spumæ instar bullatus excreuerat?

38 ANNIBALI.

INflat Afrũ Mauors, Aphrodisia deprimit Afrũ,
Est ἄωρ huius ἄορ, qui fuit ἄφρος ἀφρὸς.

Domine quò vadis.

CErtiori memoriæ loco hìc apparuit Christus Petro Roma discedéti, & crucẽ humeris prę-ferens præ pudore retrocedere compulit abeuntem. Præoccupauit Christus Angeli officium, vt morté Petro nunciaret, contentus alieno monitu ab Herodis carceribus eundem exemisse.

39 CHRISTVS PETRO.

AH Petre, quò vado? crucifigi rursus in Vrbem;
Hùc cruciandus eo, molliter vnde fugis.
Hæ saltem infractæ doceant te fortia palmæ,
Cùm renuas ex me discere dura pati.
Hãc iterum mihi porto Crucem, nec morte grauabor;
Sed me, quam refugis, Crux tua, Petre, grauat.

Tẽp. Martis.

DIcitur Ecclesia, Domine quò vadis, S. Mariæ ad Plantas, quas in marmore Christus impressit. Vocatur etiã ad Palmas, ob nemus Palmarũ Marti sa-

ſacrum: hic enim aiunt, centum Columnis ſuffultum viſebatur Martis extramuranei Templum, in quo Nationum inimicarum Oratores audiebantur, in quo tot SS. Martyres pro ruina Templi, & Numinis toties exauditi ſunt.

40 TEMPLO MARTIS EXTRAM.

QVam pacem potuere loqui? vox deficit hoſtes
Martis in Aede, palam Marte, vidente lupa.

TV ne quæſieris, Hoſpes, Virtutis, & Honoris Aedes, hac via à Marcello locatas; cum ſuis illas Numinibus inter antiquatas recenſuit barbaries temporum; Nulli commiſſa metallo forma Deæ mentes habitare, & pectora gaudet. Lucum, & Laureta Camęnarum, ſimulq; fontem Aegeriæ, in quocunq; Auentini margine ſteterint, ſi tu, Hoſpes, inuenias hoc appone. Temp. Honor & Vir.

41 AD FONTEM AEGERIAE, ET LVCVM CAMAENARVM.

SI ſtrepit aſſiduo lacrymoſus murmure riuus,
Parce; ſuum deflet Nympha ſoluta Numam.
Si non admittit ſoles denſiſſima ſylua,
Deſine mirari; Daphnide texta viret;
Nympha fremit lacrymas, fouet hoſpita ſylua Camænas,
Dum fugit hæc Phœbum, dum gemit illa virum.

SYluas, & lucos pro Numinibus reuerebantur. Lapis manalis in Vrbem comportatus emun- Lapis Manalis.

 gebat

gebat è nubibus pluuias, imbresq; ab exorato lapide impetrabat populus, quos ab inexorata Thaumantide frustrà popoſcerat. Aqua Mercurij diluebat periuria, & hoc aſperſos fonte periuros componebat Dijs Caduceator egregius.

42 DE LVCIS ANTIQVIS.

NE ſua deficeret diuis ſudantibus vmbra,
Explicuit patulos plurima ſylua ſinus.
Sacra putabantur numeroſo incædua ſeclo
Robora, vel cultis Pinus odora comis.
Diſtulit arboribus viridem gens illa ſenectam,
Et tacitè horrendum eſt deuenerata nemus.
Frugiferis etiam ſibi Numina ſeuit in hortis,
Quæ ſuper inducta fontis alebat aqua.
Vtilius Diuùm cultores eſſe nequibant,
Qui ſibi plantatos ſic coluere Deos.

Porta Capena.

CApena Porta Capuam, & Neapolim ducit: ſunt qui Camænam vocent, congruum rati, ad amænas Campaniæ oras, ſolis Muſarum nominibus iter dirigi.

43 PORTAE CAPENAE.

PArthenopen aperit priſcis ſacra Porta Camænis,
Sirenum nidos ſola Camœna docet.

Suc-

SVccedit Latina Porta, & via olim celebris Fortunæ muliebris templo, & ſimulacro, quod tãgi nefas, niſi ab illa, quæ ſemel nupſerat; rarũ priſcę pudicitiæ documentũ : vt à Fortunæ ſacris Virgines abſterrerentur,& Nuptæ per plurium virorum gradus deſperarent attingere poſſe Fortunam. Fortuna Mulieb.

44 DE FORTVNA MVLIEBRI.

VIrgo ſemel nubas: iterum ſi nubere pergis,
Iã nec eris Mulier, nec Virgo: quippe nec ipſa
Fortunæ ſimulacra tuæ muliebria tanges.

EXtat nunc vnum Latinæ Viæ, & Portæ monumentum D.Ioannes. Hic Epheſinæ Deæ reus Romam deductus antè Dianam ex ebullienti oleo intactus euaſit, mox Deæ potitus Templo, tanti locum adhuc in media via indicat miraculi. Latina Porta.

45 S. IOANNI ANTE PORTAM LATINAM.

HIc Mariæ custos, & filius alter amoris
Templa pharetratæ Virginis obtinuit;
Nec procul hinc idem ferventi merſus oliuo
Ceu reus Auſonias conſtitit ante fores;
Virgineum ſed Virgo latus, nec tangere Pallas
Auſa, nec innocuum lambere flamma virum.
Haſce reponebat meritò cum vindice pœna
Pronuba ſacrilegis Porta Latina faces.

Et

AquaMar. ET quis ſine ictu filium tonitrus crederet? Non ne Latina Porta ab inquilinis ſordibus iuſtè, ſanctèq; luſtralibus flammis expiata eſt? Ingreditur Vrbem riuus Aquæ Marianæ, pergit Circum verſus Maximum, ſe miſcet in Tiberim, & ad Naumachias in Circo excitandas excurriſſe creditur. At audiamus ſe frigidè ſuſtollentem.

46 AQVAE CRABRAE.

RIuus aquæ Marij, modo Crabræ dicor, & Appij
Paruus, & Eridano nomina plura gero.
Nunquam deſerui Colles, quos fidus inundo;
Læta, vel ancipiti tempora fronte fluant.
Nec pudet in flauum mea perdere nomina flumen
Maior ego Tiberi te, Tiberine, Mari.
Plures ſuſtinui pugnas, quàm flumina mille,
Dum mea Circenſes ſuſtulit vnda rates.

Baſilica Cōſtātini. IAm è Celio Monte incipit apparere Baſilica Cōſtantini ſuper ruinas Palatij Lateranorum conſtructa. Laborat annorum pondere grauis, & diſſolutam conſpiceres, ni Pontificum cura Atlanteos humeros identidem ſupponeret. Aureum priſci decoris faſtigium erubeſcerent hi nudi parietes primis ſplendoribus expoliati, ni ſuo malo didiciſſent, aurum, & gemmas barbarorum plerumq; prædatorum oculis nimium illuxiſſe.

47 AD BASILICAM LATERANENSEM.

Regia terrarum princeps Ecclesia salue,
Quæ geminum Fidei concipis Aede caput:
Ex te lex Christi totum veneranda per Orbem
Spargitur, hinc veræ lucis origo meat.
Hùc legis monumenta suæ transmisit Idumæ,
Nam Domus in Sion istius vmbra fuit.

STat ergo veneranda hæc murorum compages sua maiestate defensa, stabitq;, postquam in cineres consederint Regalia seculi principum laquearia cum tot columnis nihil sustinentibus, cum tot statuis suos egregiè dominos referentibus, stabit, & cælesti vita fruetur; quot enim Sanctorum corpora suo sinu claudit, totidem animis viuido planè spiritu spirat, & viuit. **Lateranensis.**

48 DE ECCLESIA S. IOANNIS.

Avrea cui potius Laterani congruat Aedes,
Quàm cui das proprium sugere, Christe, latus?
Sæpè tholo infensos tonitrus, & fulmina, & ignes
Miramur? tonitru filius hic habitat.
Pace tua semel hic liceat mihi dicere, Petre,
Sponsa datur Christi, cui data Mater erat.

Ve-

Vna Ecclef. VErùm ſi vera Mater agnita eſt, quæ vetuit filium in fruſta diſcindi, verus tantæ Matris filius reputabitur, qui vnam vno in ſpiritu Eccleſiā non patietur in plures conſcindi; Et quamuis hæc manu facta Templa diuerſis ſingula ſuffragijs innitantur, dum templum iſtud Vrbis, aliud Orbis ſibi vendicat principatum; in vnius tamen Eccleſiæ corpus, & gloriam placidiſſimè conſpirant.

49 ECCLESIIS LATER. ET VAT.

VTra domus prior eſt? Petri dom⁹ Orbis, & Vrbis
Prima foret, capitis ni foret iſta Caput.

Reliq. COnſentiunt in huius Templi ſplendorem veteris legis exuuiæ, & Chriſti Domini Paſſionis memoriæ. Hìc Arca fœderis; Candelabrum; Virga Aron, quæ refloruit; Virga Moſis, quæ ſilicem fregit, & aquas dare coegit.

50 DE VIRGIS MOSIS, ET ARON.

FEſſa laboratis ceſſent miracula Virgis,
Nos regis haud Virga, ſed Cruce, Chriſte, tua.

Veſtis Purpur. EN Veſtis purpurea, qua nouum Regem ſpreuit Pilatus. En linteum, quo ſe Chriſtus præcinxit, cum pedes diſcipulorum lauit: en aliud, quo dilecta Mater nuditatem filij pendentis è Cruce contexit, ne quid fortè ſanguinis ſaluti noſtræ deſtinati, ſuffuſus in facie filij rubor ſuſpenderet.

Linteum.

51 AD VESTEM PVRPVREAM I. C.

QVæ Chlamys innocuo Christi saturata cruore,
Plus, quàm purpureo murice tincta rubet;
Arguit insanos hominum pudibunda furores,
Qui poterant Dominum spernere veste suum.
Quis furor est, Regem simulato illudere Regno,
Regem, qui veris ludit in Imperijs?

52 AD LINTEVM QVO SE PRAECINXIT CHRISTVS.

ISta pedes etiam tetigerunt lintea Iudæ?
At simul hæc Domini non tetigere manus?

CAnna Christi manus onerauit, coronati capitis decorem elisit, sitienti ori acetum porrexit. Subscripsit igitur his calamis Deus sacrilegio Iudæorum, nos, vt Reges faceret, ictus pertulit, vt coronaret, amaritiem gustauit, vt Cœli nectare satiaret. **Canna.**

53 DE CANNIS I. C.

CAnna Deo sceptrum, caput vrget, miscet acetum,
His grauiùs Cannis nil tibi, Roma, time.

EN surgentes Nauali ære Columnas, quas è Rostris captiuarum nauium conflauit ab Actiaca Victoria remeans Augustus; nunc plenæ terra Hierosolymis aduecta Sanctissimi aræ augustiùs inseruiunt, **Colum. Aereæ.**

uiunt, si pridem Nemesi Regnorum fabulosæ dispensatrici deseruierant.

54 COLVMNIS AENEIS.

VIctor ab auroræ populis Augustus in Vrbem
Indita rostratis nauibus æra tulit.
Inq; Corinthiacas mox fusa abiere Columnas,
Quas Solimæ sacro puluere Roma replet.
Ortus ab occasu terris superatur, & vndis,
Atq; suam terram victa metalla tenent.
Dicere non possum victam; pudor occupat ora,
Dum terram colimus, quam pede Turca premit.
O vtinam hac interposita telluris ab vmbra
Sentiat extinctum Thracia luna iubar.

Lapides Scissi. APparent scissi in Christi morte lapides, & Columnæ in sensum doloris emollitæ, quando hominum pectora contra suum Deum durabantur, quando ipsa Dei domus tãtum scelus indignata velum, vti vestimenta conscidit. En lapis, super quo inconsutilis Tunica sortibus commissa est, vt eius etiam Vestis in lusum Militibus cederet, cuius Dominus Hebræis cesserat in ludibrium.

55 AD LAPIDES SCISSOS.

VIscera quãdo Hominũ Christo moriẽte rigebãt,
Obtulit in tumulum viscera dura lapis.

DE

56 DE LAPIDE LVSVS VESTIS.

SOrtibus integram Veſtem ſeruate latrones;
Sit ſatis, ò Caipha, te laceraſſe tuam.

EN Columna, quam è Pilati palatio hùc translatam referunt, cui ſupereminens gallus Prætorianis militibus matutinas vigilias indixit, & Petrũ contumaciæ admonuit. Fleuit ad triplicem galli cantum Petrus, & trinam negationem abſterſit lacrymis, eãdem ter iterata amoris confeſſione compenſaturus. Colum. Gall.

57 DE COLVMNA GALLI.

TRansfuga Borbonius, Dux coniuratus Ibero
Vltimus Vrbanum venit ad excidium.
Quis memoret latas crudeli funere cædes,
Et ſacra ſacrilegis contemerata modis?
Exiuit fortaſſe foras, & fleuit amarè
Tot ſcelera indignans ferre nefanda Petrus.
Hinc olim ad lacrymas Gallus te, Petre, vocabat,
Gallus, & Hiſpanus non minùs ambo vocant.

ET quo vultu credimus ſuperiori ſæculo ſacrum Principem inſpexiſſe, hanc Baſilicam Cæſarianis militibus in prædam ſuccumbere? Omnia quidem funditus euertiſſent, ni arcana Apoſtolorum cuſtodia inſolito horrore Prædones percuſſiſſet. Manent tamen adhuc barbaræ graſſationis veſtigia, Direptio.

gia, quippe è Laterani penetralibus ſacroſanctum Seruatoris noſtri Pręputium temeraria Militis manu abſtractum lamentamur.

58 DE SERVATORIS NOSTRI PRAEPVTIO.

HEu vbi Circunciſio? vbi præputia Chriſti?
Quàm ſcelerata manus Militis hæc rapuit!
Baptiſmus præſtat, quod Circunciſio ſanxit;
Hunc quoq; ni ſapias, perdere, Roma, potes.

Reliq. SS. SI ſuperſtitioſa ſenum deliramenta cenſuere, Imperium Romanum manuteneri cuſtoditis Veientorum cineribus, ſceptro Priami, acubus Deùm Matris, quadriga fictili, ancilibus, palladio: certiori experimento Chriſtiana poſteritas credit, imperium Chriſti ſine fine datũ feliciùs prorogandum, ſeruatis arctiori cuſtodia tot Pontificum, Martyrumq; cineribus, qui nobis hanc Patriam ſuo ſanguine pepererere.

59 SS. RELIQVIIS.

SI Templis quales animæ ſunt corpora Diuum;
Hoc animis templo viuitur innumeris.

Zacchar. SVſpice Caput Zaccharíæ, qui dum paruulum ſuum Baptiſtam ab Hærodis proſcriptione ſubtraxit, proprium Caput ferro commiſit.

CA-

60 CAPITI S. ZACCHARIAE.

MVtus eras Genitor, natus vox præuia verbi;
Vox igitur potuit reddere verba Patri.
O Pater, ò pietas! Natum ne perderet index,
Maluit horrenda perdere cæde caput.

APparet vas, quo venenum D. Ioanni propinatum est: Forceps quæ eiusdem crines totondit; prodigiosæ vestes, altera Baptistæ, altera Euangelistæ credentium votis expositæ, serenitatem, & imbres è suo sinu prolaturæ. **Vas veneni.**

61 AD CALIC. VENENI, ET FORCIPEM.

HOc è vase bibit mortem, neq; mortuus ille est,
Cui scidit hac solos Forcipe Parca pilos.

62 DE VESTIB. SS. IO. BAP ET EVANG.

HIspida Ioannis lacrymas ciet, altera vestis
Alterius soles impetrat, & pluuias.

INgens sepulchrum è porphyretico marmore post Aram maximam varijs cataphractorum signis excultum claudit ossa Anastasij quarti: idemq; prius Reginam Helenam in Cæmeterio ad duas lauros spectabili clauserat mausoleo. **Sep. Helenæ.**

63 SEPVLCHRO S. HELENAE.

HIc Crucis inuentrix Helene Regina iacebat:
Non Christi Martyr, non ea virgo fuit.

Multa quidem terris, & in æquore paſſa: quid vltra
Martyrium quæras? in Cruce ſemper erat.

S. Venantius. PLurimis Sanctorum Martyrum corporibus inſignitur Aedes D. Venantij. Oppoſita SS. Cypriani, & Iuſtinæ; Rufinæ, & Secundæ altaria innuunt, nec Tyrannorum minis, nec amoris illecebris, nec Dæmonum terriculamentis ſanctorum animas è Chriſti manu diuulſas.

64 SS. CYPRIANO, ET IVSTINAE MM.

CYpride cùm referas nomen, Cypriane, cruentas
Virgine cum ſocia fertis vterq; roſas.

65 SS. RVFINAE, ET SECVNDAE MM.

MArtyrio Rufina præit, ſequiturq; Secunda,
Vtraq; pro Chriſto dum cupit eſſe prior.

Baptiſ. Cõſtant. BAptiſmum ingredimur Conſtantini. Diſpoſuit in hanc formam Sixtus Tertius; Nondum è Romanorum linguis vernacula exoleuerant verba; tunc enim primùm Gothi Vrbem vaſtauerant, & S. Pontifex has Columnas ſtabili Epigrammatis gyro coronabat. In Hippocrenem abierat ſacro vati hic fons, qui totum diluit orbem, ſumens è Chriſti vulnere principium.

66 DE BAPTIS. CONSTANTINI.

PVrpureum marmor tibi, Conſtantine, locaſti,
Vnde tibi è ſacro fonte renata ſalus.

Sti-

Stipabant latices ceruorum argenteus ordo,
Argumenta tuam iussa referre sitim.
Quis pro purpureo Puerorum sanguine sanguis?
Quæ tibi de Domini vulnere fluxit aqua?
Sumpsit aquam Præses, sibi vouit turba cruorem;
Nos bene sanguis alit, pectoris vnda lauat.

A Sacris Bonæ Deæ viros arcuit antiquitas, & sacrosancta Pontificum iussa à Sacello D. Baptistæ fœminas prohibuere. Nunquid Propheta læsus pedibus saltatricis, auersatur & genua feminæ supplicantis? S.Io.Bapt.

67 AD SACELLVM S.IO.BAPT.

FOemina non intres: prohibet Baptista: timeris
Siue genu flectas, seu pede subsilias.

PEr hos marmoreos gradus ad Palatij prætoriũ cõscendit Christus, & quem Prætor, vt hominem alta proclamabat è specula, Hebræorum liuor quasi gregalem victimam deturbabat ad mortem. Contraxit ipsum marmor sacri sanguinis aspergine aliquot guttas, & illas adhuc inter ferreos cancellos custodit, in salubre documentum, vtiliùs super duritiem marmoris, quàm super Hebræos Christi sãguinem cecidisse. Scala Sancta.

86 DE SCALA SANCTA.

HOspes flecte genu, Scala hæc te adducet ad astra;
Quam Deus impressit sanguine, tuta via est.

S. Sanct. IN antiquum Pontificis Sacellum ſuas non manufactas formas detulere Cęlites, & ſuæ mortalitatis exuuias contulere mortales. Fœderat excelſus hic in aere locus terrena cæleſtibus, nec ad minora miracula decuit adducere ſcalam viuentis Dei pedibus protritam, quàm antiqua illa, aſcédentium, & deſcendentium Angelorum inſignita veſtigijs.

69 DE SACELLO SANCTA SANCTOR.

SVſpice diuino Sacraria numine plena;
Sacra, licet nullum conſecret Ara ſacrum.
Regia Cœlorum eſt; Cœlum ſua poſſidet Ara;
Sed cadit in Cœlo victima nulla Deo.

Sacel Põt MIſticum hoc ſecretum aſſociatur nomine antiquo illi, quod ſolùm ſummus Pontifex introibat, quod in tantam quandoq; maieſtatem eruperat, vt ſtare, & miniſtrare non poſſent Sacerdotes. Et miramur ſi ſuper hæc Altaria Myſtæ non faciant? Celetur potius ſacroſanctum oraculum demiſſo velo, vt ibi tantum appareat diſcretionis, quantum reſidet ſanctitatis.

70 DE SANCTA SANCTORVM.

SIs procul hinc mulier: Sanctorũ Sancta negantur
Vobis; Sanctarum Sancta negate viris.

Ap-

APparet Porta Cælimontana: si respicimus nomen, quod è proxima Laterani Basilica contrahit, venerabilis: si reminiscimur, per hanc Alarico primùm, dein Totila ducibus ingressos Vrbem Gothos, merito Asinaria, & ignobilis, nobilissimos licet nobis Hortos ingerat Asinianos. Porta S. Ioann.

71 PORTAE CAELIMONTANAE.

ISta ne, quæ dominam Mundi perducit ad Aedem
Ianua, num Populis dixero, vel rudibus?
Ista ne sunt Cœli claues prope limina fixæ,
Vt possent aditus explicuisse Getis?
Ah neq; Cælicolis, neq; Cæli nomine digna,
Dignior ignauis dicier ex Asinis.
Ex Asinis tibi nempe fuit, noua Troia, timendum,
Si vetus ex illo Troia timebat equo.

QVis Amphitheatrũ Statilij hùc aduolasse credat, cum illud Dominus in Campo Martio construxerit? Euanuit ergo huius Amphitheatri nomen, & suspensæ ruinæ maiores morantur: sic omnia stant, vt cadant; supremo discrimini seruatur orbis, casurus & ipse, non habens, quò cadat. Amphith.

72 DE AMPHITHEATRO PROPE SANCTAM CRVCEM.

AMphitheatra cadũt, stabilis licet æmula Mũdi,
Deniq; præfixas ferre coacta cruces.
Omnia supremæ perstant seruata ruinæ,
Omnibus in tumulum prona recurrit humus;

Concideret propria Mundus ſub mole; ſed vllum
Non habet in toto, quò cadat, orbe locum.

S. Crux. VIx Crucis in mentem venit, quin Helena, & Magdalena duo luctuoſa ſidera Crucē Domini præſignent. Non ne, ex quo ad Chriſti pedes procidit peccatrix, indignari cæpit Iudas, mortemq; ſuo Regi prænunciare? Non ne anxia curis Helena, dum Crucem Domini quæreret, excurrebat per terras, & Maria nauibus, & nautis ſidus lacrymoſum, qua inuenta, qua gaudij luce refulſit? Teſtatur hoc Baſilica Heleniana in proprio Reginę thalamo conſtructa, vt ex iiſdem penetralibus Diua Imperatrix proferret Crucem, vnde ſuos Roma poſcebat Imperatores.

73 DE BASILICA HELENIANA.

BIna Crucem Domini Mulier, ceu ſidus adorat,
Vtraq; promiſſis prodigioſa comis.
Magdala funeſto præluſerat omine morti,
Lapſa ſecus ſacros ſtella comata pedes;
Hinc Helene pariter ſidus lacrymabile monſtrat,
Signaq; ſupplicij, lignaq; naufragij.

Atriū Seſſor. HOc ligno naufragium fecit vita Saluatoris, quo noſtra ſalus portum inuenit. Occupauerat olim Venus, & Cupido ſuæ venerationis illecebris fores huius Atrij Seſſoriani, eademq; cupidinum Mater Aram ſibi erexerat in Iudæa eo loco, in quo veneranda Chriſti funeris monumenta ſepe-

pelierat Hebræorum perfidia. Sed extulit Diua Imperatrix memorias Veneris, vt trophæa mortis in lucem traheret, & hinc Cupidinis vestibula disiecit, vt sui amoris insignia collocaret.

74 DE S. CRVCE IN HIER.

GEns inimica Deo Solymæ regnata per oras
Occulerat positam Cypridis Aede Crucem,
Sed vindex Helene Lignum venerabile nacta
Cum Titulo Romam mæsta trophæa vehit.
Inde domos proprias, Aedesq; Cupidinis aufert,
Quò sacra Hierusalem nomine signa locet.
Stat decus vlta Crucis Mulier, stant signa triumphi,
Dedecus in Veneris stat sacer vltus Amor.

CRucem stipat funesta Christi tormentorum supellex; en Titulus affixus Cruci, breuis quidem, sed trium ordine Caracterum per plures lineas dispansus. Excogitauit Pontius, quemadmodum producta triplici litterarum scriptura aliquem suæ iniustitiæ titulum prætenderet, qui nullam in Reo mortis causam inuenerat. Edacitas verò temporis, aut Hebræorum liuor vocem illã IVDAEORVM, ab vltimo Tituli margine abstraxit, vt dum Iudæa talem fastidiret Regem, nec Regem haberet, nec Deum. Titulus Cru.

75 TITVLO CRVCIS.

CAusaCrucis Christi patet hic trib⁹ edita linguis,
Causa tamen Mortis nulla reperta fuit.

Clauus. COnſpicitur ſacer Clauus, qui ſi cor noſtrum, vel leuiter tangat, vulnerata charitate anima configetur Deo. En Spongia, qua diuinum os extremo prælibato poculo ſuis Martyribus reliquum propinauit. Nunquid, vt acriùs ſæuirent, ſimulabant impoſita arundini Spongia è crucifixo corpore clauos trudere? Et quanta ſitis erat morientis, cui negata pocula, & libata ſolum ſpongia ſufficeret?

76 CLAVO.

FIxeris aut Domini palmas, plantaſue, Crucem ue,
Altiùs haud poteras figere, claue, caput.

77 SPONGIA.

SPongia felle tumens deterſit vulnera, terſit
Labra, quibus Iudas oſcula falſa dedit.

Num. Argent. EN vnus ex argenteis iniquum iuſti ſanguinis pretium, quos auarus proditor magnitudinem facinoris ſera æſtimatione reſpiciens proiecit in Templum, vt vnde ſua proditione Deum expungebat, ſuos argenteos Deos impia reſtitutione reponeret. Peccauit quidem Iudas tradens ſanguinem iuſtum, peiuſq; ſua cõfeſſione peccauit, quia miſericordem non agnouit.

78 NVMMIS ARGEN.

COllocat in Templo Iudas ſua Numina nũmos:
Auri ſacra fames, quod ſacrat, an ne ſacrũ eſt?

Er-

ERgo ne, o Iuda, præſentis breuitate funis ſperabas omnipotentem deuincire, & cautè per Iudicum tribunalia protrahere? Hunc ſuum digitum geſtijt Didimus in vulneratum reſurgentis Domini latus immittere: & ſi Iudas Magiſtrum deoſculando potuit os in Cœlum ponere, Thomas eundem tangendo potuit digito Cœlum tangere. Funis. Digit S. Tho.

79 FVNI.

FVne breui Iudas potuit vincire Tonantem?
Hem ſibi pro laqueo ſepoſuit reliquum.

80 DIGITO S. THOMAE.

TAnge meas digito plagas, incredule Thoma,
His tibi diſpoſitis retia necto plagis.

APparent altiſſimi aquæ Claudiæ fornices. Nimio penè faſtu per tot arcus triumphales intrabat Vrbem hæc aqua. Quibus expenſis, o Claudi, tot fontes, Cęruleos, Curtios tam longo tramite, per tot canales, & tubulos, publico, priuatoq; commodo larga profuſione diſpenſabas? Expeditiùs, quàm tu aquam, ſucceſſor Nero per hos colles ignẽ diſperſit. Arcus A. Claud.

81 AD FORNICES AQVAE CLAVDIAE.

HVc tot aquas, Claudi, trahis huc, fonteſq; lacuſq;
Nec ſat erunt flammis, quas Nero ferre parat.

Porta Maior.

VOcetur Porta maior, vel ab impoſito grandi Aquæ Martię Caſtello, vel ab inſigni B. Virginis Maioris Baſilica; ſat liquet à multis Næuiam, à naſutioribus Mætiam, & Exquilinam dici, extra quam ſumptum olim de nocētibus ſupplicium, quibus Tyrannorum crudelitas Chriſti Martyres iunxit, & Chriſtiana pietas Cœmeterium ad duas lauros reſerauit.

82 DE PORTA MAIORI.

MAior vbi Virgo, parili de nomine Porta
Fertur, & inducta pondera fulcit aquæ;
Quæ minor horrebat numeroſa cæde nocentum,
Maior ab innumero Martyre ſacra Deo eſt.
Quid maius, quā fortē animā profundere in vmbras,
Aeternumq; breui quærere nocte diem?

Praeneſt

SI Præneſtinas ſortes vis conſulere, & inſita mortalibus cupidine ſcire deſideras, tua quid tibi fata protendant, hinc ad fortunæ ſolium potes pergere, dum interim ego vtiliùs ad dexteram Labicana flectam, & adorabo inter duas lauros loca ſepulturæ SS. Petri, & Marcellini, nuperq; reſtitutum Helenæ Mauſoleum ſuſpiciam, cum oſſa iam pridem in Aram Cœli, & aliò relata referatur.

83 MAVSOLEO HELENAE.

VIuæ Helenæ ſatis vna fuit miſerabilis arbos;
Laurus at extincta non fuit vna ſatis.

AB-

ANtiquum Hemisphærium Gallutij nomine quid est? an Templum Bruti Calaici, an pars Porticus in Hortis Caij, & Lucij; an Basilica Caij, & Lucij nepotum in foro constructa? Acquiescamus in hac fabula, neq; approbemus falsa, neq; à vulgi credulitate subducamus audita. **Gallutiū.**

84 BASILICAE CAII, ET LVCII.

BAsilicam statuit Cæsar, geminiq; nepotis,
Non sua præfixit nomina marmoribus:
Magnum opus excelsos lapidum sustollere montes,
At proprium nomen condere maius opus.
Hoc quod fecisti, Cæsar, licet esse Nepotum,
Quod non fecisti debuit esse tuum.

PAlatium Licinianum, Surræ ne, an Imperatoris? Dacia è media Barbarie protulit exactissimū Imperatorem Licinum, odit litteras, & ignorauit, odit Aulicos, & expulit. Imperatoriam maiestatem asseruit, non multa dum subscriberet calamo, sed Populorum iura dum ferro decerneret. **Licinii Domus.**

85 DOMVI LICINI IMPERATORIS.

FAma sat est Licino: Domui mea nomina desunt;
Nescit enim nomen scribere nostra manus.
Scribere non didici, sed nec proscribere noui;
Improba Romanos ars manet ista viros.
Non est barbaries, si scribere dextera nescit,
Barbariem reputo si malè dextra ferit.

Vrſus Pil. IN feras incidiſtis egreſſi ex eiuſdem familiæ penetralibus inuicti Martyres, in impium Iuliani miniſtrum: hic omni monſtro immanior te iuſſit, Flauiane, Vrbis olim Præfecte in Etruriam deportari; Daphroſam coniugem ſecuri percuti; Demetriam, & Bibianam plumbatis confici. Acta hæc ab Aproniano, ad Taurinas aquas, ad Forum Tauri, ad Vrſum pileatum, genuina crudelitatis nomina.

86 DE VRSO PILEATO.

PVrpureos, virides, & nigros Roma galeros
Proferat imperij ſigna verenda ſui.
Hæc fera centenis hominum cumulata cataſtis
Pilea purpurea cæde cruenta gerit.
Vrſus adoratis non inuidet iſte coronis,
Nec rerum Dominæ cedit honore Lupæ.
Vndiq; non regnat, non vndiq; ſeruit, & vrbis
Pileus eſt ſaltem, ſi nequit eſſe caput.

S. Bibiana TV tamen præ cæteris, Bibiana, hunc locum nominas, & cum pridem tres Vrnæ cum ſuis oſſibus apparuerint; vnica, quæ tui corporis continebat exuuias, certis in plumbi lamina inſcriptis literis ſe tuam eſſe confeſſa eſt: quaſi ſolo tuo nomine decorari geſtiat hæc Martyrum turba, quæ ridicula Vrſi pileati appellatione vocari amplius faſtidiebat.

87 DIVAE BIBIANAE.

SOla tuum Bibiana refert ſcheda plumbea nomen:
Sic plumbo viuis, quo malè cæſa peris.

Ana-

ANastasius primus, quem diu Roma habere non meruit, ne Vrbis caput sub tali Pontifice truncaretur, ille inquam Anastasius, in hoc sui nominis, vt creditur, Cœmeterio iussit Sanctos Martyres requiescere, qui congrua suo nomini sanctione iusserat, ad sacri lectionem Euangelij viuos assurgere. Cęm. Anast.

88 COEMETERIO ANASTASII PRIMI.

HIc sub Anastasio tumulata resurgite bustis
Corpora; nil aliud dictat Anastasius.

SI aggeres Tarquinij à Collina ad Exquilinam producebantur, quis Portam D. Laurentij non putet Exquilinam? Et si hæc Porta nunc insignis insculpto capite Tauri mittit in Gabios, quis non existimet Gabiusam? At emotis è veteri statione Portis, quis istas easdem esse contendat? Porta D. Laur.

89 TAVRINAE PORTAE.

CErne caput Tauri, nec te fera bestia fallat:
Fallimur in Portis? in portis quæso quis erret?

SEd istam comparemus Capenæ, vt cum frequẽs Hospes SS. Laurentij, & Sebastiani Basilicas visitet, antiquas Portarum iactantias patienter au- Compar. cum Capena.

diat,

diat, non oblitus per illam Gallos Berecyntię ingreſſos, per iſtam Gallos Senones à Camillo trucidatos. Et quis neſcit, ſumma Quiritium diſcrimina librantibus Dijs, grauiorem apparuiſſe Romanum gladiũ ad redimendam Vrbem in dextra Camilli, quàm Gallicum in ſtatera Brenni?

90 PORTAE GABIVSAE.

HAud cedit faſtis magnæ Gabiuſa Capenæ,
Quas iubet eſſe frequens aduena penè pares.
Vna ſagittiferi, docet altera Martyris aſſi
Indita ſepteno Templa vetuſta Choro.
Inde Sepulchrorum moles, hinc oſſa per agros
Vtraq; viſendis peruia Porta cauis.
Vna putrem Nolam, vehit altera Tibur amænum;
Hæc tremit afflatu fulminis, illa pluit.
Moles cum Cybele Gallos exceperat illa;
Conficis hac Gallos, magne Camille, truces.
Num malè librato virtus præponderat auro,
Quantùm Romani prævalet enſis onus?

S. Hippol. INſontem Hippolytum ſua innocẽtia, odium Nouercæ, crudelitas Patris per has vias prouolutũ diſcerpſit; & Valerianus innocentem Hippolytum ipſius Concordiæ vberibus enutritum, ſola nominis recordatione miſero laniatu corporis adiunxit tot funeribus vnius percuſſæ domus. Temporis edacitas comminuit tumulum laceros artus complexum,

xum, ſtant tamen pro æternis memorijs hæ Glebæ, hi ſilices, & aſperis vepres rubis, dum truncus omnis corporis partem tulit.

91 S. HIPPOLYTO IN AGRO VERANO.

HIppolytus diſtractus equis: iam fabula cedat,
Vera fit in Chriſti Martyre priſca fides.
Roma etiam tracto crudelius Hectore vidit
Plenum animæ corpus ſaxa per iſta rapi.
Terra memor laceros etiam reminiſcitur artus,
Aura repercuſſo murmure plaudit Io.
Cur in equis Decios reuereris turba ruentes?
Iuſtius haud alijs Roma triumphat equis.

ET vnde hoc Protomartyr Stephane, vt ſaxis obrutus extra portas Hieroſolymæ volueris Tiburtina via eodem quo Laurentius tumulo ſepeliri extra muros Romæ? an poſtquam aperto Cœlo videras Ieſum ſtantem, voluiſti videre Leuitam in igne diſcumbentem. Acceſſit laurea coronę, dum Laurentio accedis, o Stephane, vt tu Princeps Martyrum fatearis tuo coronato nomine Martyrum Regem Laurentium. Et quis nolit ardere pro Chriſto, vt poſſit cum Laurentio coronari? S. Laurẽt

92 S. LAVRENTIVS EXTRA MVROS.

NE me Vulcanum dominantem credite flammis,
Sit licet extra Vrbis mœnia noſtra Domus.

Ne

Ne ve triumphantem facibus reputetis amorem,
Cui potius casti cura pudoris erat;
Me magis in Decium moliri fulmina, & ignes
Credite, pro vobis flammea tela fero;
Rex ego sum Romæ; si flamma Seruius est Rex
Editus, è medijs sunt mea Regna focis.
Cum Ioue derisi cedant diademata Reges;
Mi Stephanus dexter prima corona data est.

Ciriacæ Cœm.

COemeterium Ciriacæ pluribus olim Sanctorũ corporibus refertum, multa adhuc suis loculis custodit, multa in varia templa diuisit. Ingens è marmore Tabula infixa parieti sustinuit depositum è crate Laurentium, & calidi adipis vnguine delibuta ferales delicias Tyranni epulo reseruauit.

93 MARMOREAE TABVLAE D. LAVRENTII.

ASsum marmorea Iuuenem, Rex, excipe mensa;
Dura, sed imposito est congrua mensa cibo.

Arcus Gord.

ARcus Gordiani ad noua opera deiectus laborat, vt ipsum penes hæc Mœnia fuisse credamus. Romana potentia in conuehendis immanibus columnis, & marmoribus occupata, hoc vnũ videlicet satagebat, vt inscripta suis triumphis marmora in Sepulchra Nepotum disponeret, & vrbanas lapidicinas congereret ociosæ posteritati. Et quousq; tandem superstites ædificiorum strues viua priscę magnitudinis testimonia penitus exscindẽtur?

DE

94 DE RVINIS.

MAgna ruina fuit, fuerat quæ magna rapina:
Alta ruina ruit, raptaq; quiſq; rapit.

QVot rurſus fontes Martiæ, Auguſtę, Iuliæ, Te-pulæ ad emendandum impuriorem grauis Cœli ſpiritum per altiſſimos fornices exundant; deſides Aegypti Pyramides, & vana miracula cenſeas, ſi neceſſarijs illas his molibus conferas. Aquæduct.

95 DE AQVAEDVCTIBVS.

QVanta per aerios tractus voluuntur aquarum
Agmina de ſuperis pendula fornicibus!
Inuita Iunone licet, licet aere ſicco
Ventilat æſtiuos murmur, & aura dies.
Iride pro multa ſaliens ſuper æthera purum
Multus, & aſſiduas depluit arcus aquas.

MEtire è ſtantibus adhuc his Aggeribus Tarquiniorum ſuperbiam; paſſus eſt liber Quiritium ſpiritus ſibi Reges imponi, aut Paſtores Aborigenum, aut Aruſpices Sabinorum, aut vernas, ſeruoſq; Tuſcorum; ſed vbi regnandi licentia altiori faſtigio ſubiectis ceruicibus inſedit, excuſſit Regum capita, illiſq; æternam odiorum legem indixit. Aggeres Tarq.

96 AGGERIBVS TARQVINII.

TOta quid excutitur tellus commiſſa Tyranno?
Tergore preſſa tremat, viſcere foſſa gemat.

Castr.Prӕt. VIuarium, & Castrum Prætorium ampla duo vicina loca, & ad custodiendas pro spectaculis feras, & ad prætorianos milites continendos. Nimia tamen Theatrorum licentia, & à veris bellorum prælijs abalienatio Vrbem fecit ludicrum exteris gentibus spectaculum, & Prætorij custodia ius sibi fecit in suorum capita Imperatorum.

97 DE VIVARIO, ET CASTRO PRAETORIO.

VRbs sua militibus statuit Prætoria castra,
Constituit pariter proxima Claustra feris.
Exitium propè sorte pari tibi, Roma, tulerunt
Delicium Populi, præsidium Domini.
Quin tua Tigridibus Viuaria plena nequibant
Pascere peiores, quàm tua Castra feras.

S.Agnes. LAtitet inter sui Collis vimina Iuppiter, postquam imbellis Virgo accensis suo supplicio flammis Iouis numen fulminat. Vrgetur B. Agnes amoris facibus, nec cedit; præcingitur focis Vestæ, nec timet; tractu catenarum in ignes proijcitur, nec expauescit. Animosæ ergo Virginis nomine insignit Roma, Vias, Templa, & Portas; nec puriora sacris Pastorum humeris pallia præparat, quàm illa, quæ ab electissimis gregibus sacra Virgo componit.

98 PORTAE S. AGNETIS OLIM VIMINALI.

VImineos aditus Agnes fidiſſima ſeruat
Agno candidior, quem fouet ante ſinum.
Non amor hanc facibus, nec Mulciber attigit igne
At ſtetit in geminis non violata focis.
Vtq; probet ſe ſe intactam, Paſtoribus offert
E Nomentana vellera pura Via.

REquieſce ſub Altare, cum ſocia Agnete, felix Emerentiana; non enim fas erat te ab illa diſiungi eodem cum ipſa lacte enutrita, nec ab eius ſepulchro ſeparari, cuius cuſtodiæ cæleſtia fulmina impetraſti. Et tu Imperatorij ſanguinis germen, Conſtantia, dum apud ſepulchra SS. Virginum ducis excubias, delata è Cœlo corona circundaris, & antiquo Bacchi Templo ſubſtitueris.

S. Emerẽt. **S. Conſtãt.**

99 S. CONSTANTIAE.

FIlia magnanimi, Conſtantia, Conſtantini,
Dum lacrymis caſtæ Virginis oſſa foues;
Te Pater omnipotens ſumma proſpexit ab arce,
Et dedit Ogygij templa tenere Patris;
Tranſtulit in Cœlum diadema Lyæus amatæ;
Sed tibi de Cœlo fert diadema Deus.

NEc latius ſepulchrum ſuo triumphatori India vel Thebe, neq; ipſa Creta Ioui conſtituit: ſua pulchritudine ſollicitauit oculos, animumque

Sepul. Bacchi.

Pauli ſecundi, qui optauerat ibi, ſed voto irrito, iacère. Nunquid natus inter vndas Adriatici, ritè occuparet tumulum Bacchi inter flammas progeniti? Vanum itaq; monumentum eſt; ſiquidē non aptiora ſibi ſepulchra Dionyſius inuenit quàm dolia, & Ebriorum ventres, & pectora.

100 DE SEPVLCHRO BACCHI.

QVis tumuli clauſum reputet ſub carcere Bacchū,
Si victor gemina Tigride vectus eo?
Sculpite quos vultis titulos, inſculpite vites,
Non grauat impoſitus numina noſtra lapis.
Sum Liber, licet alta premant me pondere ſaxa
Quolibet eluſo carcere liber ero.

Circus.

NEſcio quis Circus Templo Bacchi proximus, nocturnis Orgijs fortè deſtinatus corruit, quippequi vindicanda potius, quam celebranda ſuo gyro clauſerat myſteria. Et quis vetat, nos antiquæ ſeueritati impares, in voluptatem verbo tenus animaduertere?

101 DE CIRCO PROPE TEMPLVM BACCHI.

FOrtè ſacrum Baccho Circum, vel Pani Lycæo
Hùc procul excluſit priſcus ab Vrbe pudor.
Poſteritas melior totum diſcuſſit ab imo,
Perderet vt fœdis ſacra referta iocis.
Quid tamen antiquum iuuat euertiſſe Theatrum,
Si replet Vrbanas Enthea larua Vias?

Quid

Quid iuuat insanum Pani occlusisse Lupercal,
Si patulos aditus turpe Lupanar habet?

HAc Nomentana Via in Phaontis liberti suburbano mollis Nero euasit in virum, & ne ludibrium hostibus fieret, digno Catonis spiritu ferrum pectori admouit. Per hanc Viam ad Montem sacrum confugit armata Plebs, impotentem Patrũ execrata licentiam, ibiq; primùm suos Tribunos in lucem protulit, specioso lenitæ Plebis titulo, & perennni dissensionum duramento; hæc enim lex à mundi primordio inualuit. Qui potè plus vrguet, pisces vt sæpe minutos magnus comest, vt aues enecat accipiter. Suburb. Phaontis. Mons Sacer.

102 DE SVBVRBANO PHAONTIS.

HIc Nero magnanimi cumulauit fata Catonis:
Si tantum docuit Stoica lingua, sat est.

LOngissima tandem hæc Via nos reducet in Quirinalem. Altam vocauere semitam in summo Montis tergore productam; nunc vocant Piam, nomine Pij Quarti, cuius Nepos Carolus insolitas ad Cœlos vias aperuit, dum inter opes, & purpuram pietatem plenissimam exhiberet, & fugientem ex aliorum pectoribus reuocaret. Alta Semita.

103 DE ALTA SEMITA.

ALtam alij dicant, mihi semita longa videtur,
Quam Pius in summo strauit Agone Viam.

Quanta Pio fuerit pietas, nec quæro, nec hiſco;
Magna fuit, longæ ſi fuit æqua Viæ.

P. Salaria. SVccedit Salaria Porta, per quam ſibi ſal Sabini exportabant; fatui tamen Senones hàc Vrbem ingreſſi, nec micam ſalis guſtauere; ſex enim menſibus circa vnum Montem pependerunt, ſibiq; perſuaſerant Vrbem obſidione iam cœpiſſe, è qua proiectis panibus fugabantur. Verticordiæ Aedem quærimus: vtinam ſuum ſimulacrum in pectoribus indigentium fixiſſet.

104 PORTAE, ET VIAE SALARIAE.

INſipidam ne crede Viam, cui nomina priſca
Fecit ab aduecto turba Sabina ſale.
Sal etiam terræ fuerant, quos terra cauernis
Hæc tenuit: flexo quære ſepulchra genu.
Sed fatuas Veneris caue, ne reſpexeris Aedes,
Ne ſalis in ſtatuam tu malè ſalſus eas.

Arenariæ. MAgnę Arenariæ maximarum Vrbium gyros ſuis anfractibus imitatæ prolixo agrorum tractu conteguntur. Penè has Ciuitates Dei dixerim quando Chriſti fidelium numeroſis cœtibus frequentes ſuos incolas adiunxere Cæleſtibus, quādo populari epulo celebrato quaſi funeris ſilicernio, obſeratis foribus incluſi, lentis ibi mortibus alebantur, identidem euocati ad cædes in Theatrum, ſcilicet è Cauea in caueam, ab Arena in arenam.

DE

105 DE MAGNIS ARENARIIS.

AVfugium miſeris dulces linquentibus auras
Antra volubilibus peruia mille dolis.
Vrbes, & ſiluæ latebras imitantur opacæ,
Eruta tàm varias ſtruxit Arena vias.
Stamine quiſq; regat veſtigia cæca ſequaci,
Qui labyrintheum carceris intrat iter.
Regna reformidet cautus Plutonis adire;
Fila trahat vitæ, ceu noua Parca ſuæ.

PEnes hanc Portam ſceleratus Campus aſſuetus olim inceſtas Veſtales excipere, tunc venerabilis apparuit quando illic obruti Griſantes, & Daria. Reputauerat ſe Numerianus Imperator pluſquam Macedonem, ſi Dariam ſuis Dijs ſubderet; ſed eluere caſtiſſimi Coniuges opprobria ſcelerati Specus, & Griſantes in hoc Campo ſui nominis aureo flore reuireſcit. **Campus Sceler.**

106 CAMPO SCELERATO.

CAmpus, Vicus, Porta olim ſcelerata fuerunt:
Porta patens Fabios miſit ad interitum;
Viuas Veſtales inceſtas Campus humabat,
Is Vicus Natam per Patris oſſa tulit.
Tam ſcelerata igitur fuit illis Roma diebus?
Imò locus ſceleri nullus in Vrbe fuit;
Nam Vicus, Porta, & Campus ſcelerata fuerunt;
Sed ſcelera antiquas non ſubiere caſas.

Anien. NArſes ſuper Anienem cũ inſcriptionibus Pontem reſtituit ab immani Totila priùs deturbatum. Neſcio an Eunuchum credam, quem verum Patrem ſenſit Italia, & fortiſſimum Virum experta ſunt profligata Gothorum arma; ſed citò ad naturam ſuam redijt, & muliebri impotentia imperantem fœminam indignatus, Italiam Longobardis membratim lacerandam obiecit.

107 PONTI VIAE SALARIAE.

GVſtat perpetuas Pons iſte Salarius vndas;
Quis ſcit, an & faciant nomina ſalſa ſitim?

Sep. Marij. ANienis ripas horrificauerat ſepulchrũ C. Marij. Verum fortunæ miraculum cenſeas, qui toties captiuus & Conſul, poſt catenas & carceres, in Præneſtina Arce, atq; adeo in ipſius Fortunæ ſinu fortiter occubuit; Vnde anxius Silla ne etiam poſt funus reuiuiſceret hoſtis, eius oſſibus in Anienem iactis, ſua iuſſit cómburi, & in Campo Martio reponi, non aliter, ac ſi cineres difficiliùs, quàm oſſa ſpargerentur.

108 SEPVLCHRO C. MARII.

SEptimus ad ripas Anienis Conſul oberrat,
Tectaq; ſub fundo fluminis oſſa latent.
Alta palus Mario vitam ſeruauerat olim,
Ne redeat medio è gurgite Silla timet.

ET tamen hìc erat albus ille fortunæ filius Silla, qui tot millia Ciuium Præneste trucidauit, & Templi Deæ constrauit pauimentum, vt inoffenso pede ad suæ Matris gremium delicatè procederet; ille felix Silla feritate sua securus, cui cùm Patria non inuenisset vltorem, inuenit natura, & mille carniuoras feras in eius viuum corpus immisit. Silla.

109 SYLLAE.

CVr nullum Syllæ pepererunt secula Brutum?
Ipse parit; Brutis pluribus ipse perit.

EFferbuisset indignatio C. Marij, si vicinum Licini tonsoris sepulchrum respexisset. Par fuerat huic lepido Tonsori crines Augusti resecuisse, & plena manu retinuisse comam fortunæ. Sep. Licini

110 SEPVLCHRO LICINI.

MArmoreo tumulo Licinus iacet, & Cato paruo;
Pompeius nullo: credimus esse Deos?
Credimus esse Deos; memori quia marmore Magnus
Non eget, & gaudet simplicitate Cato.
Credimus esse Deos cùm tondeat iste trifaucem
Cerberon, aut tetricas vellicet vngue Deas.
Credimus esse Deos: & quis neget? imò negamus
Qui super hosce Deos credimus esse Deum.
Nomina vana Deùm, sed vanior illa Dearum,
Singula quæ tenui pendula crine ligat.

In-

Circus Floræ

INterſtitium, quo Collis Hortulorum à Quirinali diſiungitur, clauſit Circum in quo Floralia celebrabantur. Abibat ſenſim è caſtis pectoribus pudicitia, & expirabat verecundia peccandi, cùm turpi laſciuiæ honeſtus ſacrorum Floræ titulus prætendebatur: nunc ſuper antiquis ruſticæ Floræ ſedilibus Palatium Barberinum iecit fundamenta.

111 CIRCO FLORAE.

MAter abit florum; quos fallat floribus abſunt;
Deficit impuris area clauſa iocis.
Pugnaces animos, & pectora dura Quiritum
Mollijt effuſis florea Diua roſis.
Prima parens totum fructu ſi perdidit Orbem;
Perdidit antiquum floribus iſta genus.
Quis neget Olenio Martem de flore creatum;
Si fera gens Martis floribus icta perit?

Collis Hort.

REſtricto Imperio laxauit muros P. R. & Collem Hortulorum pomœrio complexus eſt. Iam actum erat de te, Roma, iam commodè poteras perpetuo quaſi horto tumulata derelinqui, ni tuum obtritum caput Apoſtolica Paſtorum virga reuexiſſet in lucem.

112 DE COLLE HORTVLORVM.

VNicus Hortorum Collis, nunc priſca vocari
Omnis ab Hortorum nomine Roma poteſt.
Ex quo barbaricos Vrbs cæpit aperta tumultus,
In virides ſenſim degenerauit agros;

Tunc

Tunc proaui cœpere Patres ſua linquere tecta,
Tectaq; virgultis, graminibuſq; tegi.
Exceſſere ſimul cuſtodes Dijq; Deæq;
Tota relicta vetus, Lampſace, cura tibi eſt.

PIncij Senatoris domus proximæ Portæ nomen indidit. Tranſmittebat hæc in Collatiam, quò opes vicinarum Ciuitatum collatæ, & præcipuum matronalis ſtolæ decus Lucretia, vnicum exemplũ benè vindicatæ caſtitatis propriæ, & Tyrannidis alienæ. **Lucretia.**

113 PORTAE PINCIANAE.

HInc Hoſpes Collatinos tranſibis in agros,
Vnde ſuum Virgo concipit vnda caput.
Ibis vbi Romam tepidi Lucretia riuos
Sanguinis intrepido iuſſit abire ſinu.
In patriam hinc gemini fontes ab origine caſtæ
Proſiluere, alter ſanguinis, alter aquæ.

PEr hanc Viam Aqua Virgo concipitur, & per eoſdem Aquæductus Vrbem intrat, per quos furtim ingreſſi Gothi tantæ Vrbis decorem deflorauere. Lucullus Mithridatis triumpho ſuos Hortos ſplendidè inſtruxit, quos nunc obtinent Magni Hetruriæ Principes, hoc fortunæ ludibrio, vt deliciȩ Medici Regis ſpolio partæ, in Mediceorum manus iuſta lege recurrant. **Aqua Virgo** **Hort. med.**

114 AQVAEDVC. AQVAE VIRGINIS.

HAcccine Virgo fluens tacito male fida canali,
Hostes quæ Romam vexit amica Gothos?
Prodidit olim etiam Rupem Tarpeia Virgo;
O malè Virginibus credita Roma tuis;
Plus Rhea Vestalis, plus & Lucretia laudis,
Vtraq; vel stupro contemerata dedit.

Horti Pōp. ALterum verò ex altera parte Viæ Suburbanū olim Pompeij pluribus nunc signis excultum excepit Cardinalis Ludouisius, Vir & ipse ingentis animi, cuius fato si defuit Aegyptus perfida, nō defuit barbari perfidia calami, quo sub Indicæ haustu aquæ in medio vitæ cursu defecit. China.

115 DE STATVIS.

VIta breuis Dominis: Statuis longissima: quare?
Ars quoniam longa est, ipsaq; vita breuis.

Burghes. EXtra Portam Villa Burghesia residuæ succedit Pompeianæ; huius inter eximia ornamenta, videre est Senecam è Lydio lapide in balneo apertis venis expirantem; Pullatus sua morte Philosophus nigro lapide signat extremum vitæ diem, qui quidem ab auaro Principe recentibus tunc spolijs aucto inter lætos, & candidos albo indice notabatur.

STA-

116 STATVAE SENECAE.

VIse necem Senecæ plus diuitis ore, vel ære
Ambigo, sed lapis hic tacta metalla probat.

QVis quis in hoc artem populo non nouit amādi, spectet quò colliment tela Cupidinum, quæ suarum meta deliciarum. Verus est hic Floralium Campus, in quo prostitutæ Veneres malè funerantur. Nec vos miseras consoletur, quòd in euersis D.Felicis Aedibus iaceatis: iam enim euersa vobis omnis felicitas est, quin quodammodo videmini inflictas semel olim pœnas prorogare Felici, hoc eodem in loco, abscisso capite, lupis, & canibus derelicto. S.Felix.

117 AD RVINAS TEMPLI S.FELICIS.

HEu infelices nimium, nimiumq; misellæ,
Quas malè consperso puluere celat humus;
Penè lupis, canibusq; lupæ data præda iacetis
Hæc patuit vestris myrtea sylua choris.
Non fuit ergo satis pœnarum infecta libido,
Ni remeet reduci postuma pœna pede?
Tæda nec exiguo comitata est lumine corpus,
Cui quondam facibus mille refulsit amor.
Præfica nec saltem lacrymam conducta profudit,
Queis tantum roseo riserat ore Venus.
Funera quin tetrico vultu simulata dolorem
Delicijs auctas depopulatur opes;

Aeter-

Aeternumq; vale, titulus, requieſq; negatur,
Vita quibus viuis irrequieta fuit;
Proſtituit vos Roma feris, quibus æthere aperto,
Publicus eſt thalamus, publicus eſt tumulus.

Lum. æter.

AD ſcortorum vſq; buſta carmine proſequenda traducimur, & humanæ induſtriæ iacturam non lamentamur, dum identidem in effoſſis monumentis inuenimus lumina in iniuriam mortalitatis accenſa. Prælucent iſta noſtræ mentis tenebris, noſtrorumq; artificum ſocordiam ſua luce propalant. An priſci illi, quales Promethei æternum ignem è Cęlo ſurripuerant? nos verò, aut verbis conſumimur, aut in mutuam perniciem ingenioſi augemus ſupra omnem antiquitatem inſtrumenta mortis, & nouas artes excludendi flammarum globos per tormenta ferrea ab infero Plutone euocamus.

118 DE LVCERNIS ANTIQVIS.

FLammula perpetuos agitabat in orbe recurſus,
Vt fierent veterum viuida buſta Patrum;
Fudit vbi Deus æternum hæc in ſecula lumen,
Lucis inextinctæ ſemina perdidimus:
Quippe nefas hominum genus immortale lucernis
Quærere nocturnas Ditis ad antra vias.

Murus inclin.

INclinatus murus, quaſi præcipitium ſibi minetur, noſtras mentes ſollicitaret, ni D. Petrus hanc auerteret curam; cûm enim barbarus hoſtium

fu-

furor Vrbem afflaret, hunc murum bonus ſenex, vt munitiones ſuas acerrimè protexit, longo eundem miraculo impoſterum ſuſtentaturus.

119 MVRO INCLINATO.

IMpiger aduerſos hinc quondam mouit in hoſtes
Pro ſibi deuotis arcibus arma Petrus.
Diſpulit hinc fuſas acies, murumq; cadentem
Rexit, & aſſidua ſedulus inſtat ope.
Mœnia num ſtarent licet inclinata ſub illo?
Stare etiam claudis illius vmbra dedit.

QVàm facilè Flamminio Conſuli fuerat cõtundere Boiorum gẽtem corde leuem, eorumq; manubijs ampliſſimam ſui nominis Viam ſternere, & Portam deuictæ gentis ſpolijs exornare; tam arduum eidem fuit, hac eadem Via ad Traſimenum inauſpicatò flexiſſe in Annibalem, non minus Africanis fraudibus, quàm Romanorum Cõſulum ſtragibus ferocem. Portæ Flam.

120 PORTAE FLAMMINIAE.

FLamminius ſpolijs Boiorum victor opimis,
Mox formidato victus ab Annibale,
Extulit hos aditus propria virtute triumphis,
Et melius Patriæ, quàm ſibi conſuluit.
Hinc adeas Gallos, Traſimenauè littora viſas;
Deſtruit hinc vitam, conſtruit inde viam.

Pons

Pons Miluius.

POns Miluius ab Aemilio fortè Scauro ſuper Tyberim conſtructus laceſſit Conſtantini geſtis, & Maxentij ſubmerſione Sublicium, illum videlicet Pōtem, qui arcuit à ſeptem Collibus Hetruſcorum Regem, & Regiam: quod ſi nunc ſuo munere defunctus iacet, pudeat Miluium dilacerare cadauer Sublicij: & fortaſſe tellure obſeſſa ingens Eccleſia nuper detecta, indicat locum, ex quo ſuſpexerat Imperator Crucem cæleſte ſignum victoriæ.

121 PONS MILVIVS.

PRimus ad vndātē Tyberim Pons Miluius adſto,
Flamminiamq; cauo fornice necto Viam.
Erret Sublicius fugitiuum extremus ad amnem,
Quo benè quæſito; nec benè noſcis, vbi eſt;
Ille ſui iactet turgentia Coclitis acta,
Me Conſtantini fortia facta beant.
Præcipitem ſub aquas Maxentium inundo Tyrannū,
Ille hominum fluuio ſcirpea ſigna vouet.
Si trabe Pontificum manibus ſacer ille refectus;
Et mihi per ſacram gloria parta Trabem.

Vrna Ner.

TRans Pontem incurrimus in Vrnam marmoream illuc in agros translatam; aſſerit Vulgus Nerònis cineres, priuſquam iactarentur in flumen, ibi ſtetiſſe. An quicquid durum ea ætas vidit, Neronianum credidit?

VR-

122 VRNAE NERONIS.

VRna Nerone caret; cineres rapiuntur ab amne;
Sat cinerum Patriæ, cum foret ille, dedit.

VLteriùs progreſſuris apparet Villa Cæſarum ad Gallinas Albas. Prodigium Auguſtæ domus Gallina alba in gremium Liuię Druſillæ à pręteruolante aquila impulſa, pullorum, & lauri ſobolem triumphatoribus cum Iulia gente manſurã propagauit, eodem ſimul fato perituram. **Villa Cæſarum.**

123 VILLAE CAESAR. AD GALLINAS ALBAS.

GAllinæ periere albæ pereunte Nerone;
Gallus vis fieri, nec potes eſſe, Nero.
Aruit hìc pariter Laurus fatalis: an arbor
Muſica non doleat, cum Cytharędus obis?

124 CLITELLIS.

CLitellæ locus extat adhuc: ne crede, Viator,
Deſore Clitellas, dummodo ſint Aſini.

IVſtinianeus extramuralis Hortus ſpecioſum apparet Cęmeterium, ſi tot Sarchophagos luſtres; altera verò ſuo frequens populo Ciuitas, ſi tot Heroes ſuis baſibus hærentes circumſpicias. Sedula Artificum cura ſuis membra corporibus reddidit, aliena ſubſtituit, noua reparauit. Superbiunt præ cæteris Silla, & Cæſar immanes duo Reipublicæ **Horti Iuſt.**

ſcopuli, quibus ſi Tiberium ſubdas, totum habes naufragium libertatis.

125 STATVIS SILLAE, ET CAESARIS.

HI duo fatales armis, & legibus Vrbem
Subdere, ſunt ſimiles, an mage diſſimiles?
Perſtat adhuc Sillæ ſua lex Cornelia: legem
Sanguinis infectus ſanguine Silla tulit.
Durat adulteriJs lex Iulia Cæſare lata:
Dant aliJs leges, qui tolerare negant.

126 STATVAE TIBERII.

RIdiculum expoſuit Populo ſua Roma Neronem,
Cui bona ſors Matris ceſſerat Imperium.
Caluus ridetur vetulus, qui impleuerat Vrbem
Planctibus, heu triſti vita rotata rota.
Profuit huic quondam iuueni Fortuna comata,
Obfuit extremo tempore Calua Venus.

Sep. Neronis. NVx malis GeniJs peruia, prætereunti Populo grauis, ferali horrore Domitiorum ſepulchra adumbrauerat. Infelicem arborem extirpauere Pontifices, & Deiparæ imaginem adorandam propoſuere. Hoc bono genio Vrbem ingreſſus excipior, quam feliciſſimè teneo demiſſus ſupplex ad oſcula terræ, qua nulla in orbe terrarum altior, nulla in orbe Cœlorum ſublimior.

S. MA-

127 S. MARIAE DE POPVLO.

SVb Nuce funerea ſcelerati buſta Neronis
Vmbris pandebant triſtibus hoſpitium.
Impuri monumenta Viri puriſſima Virgo
Expiat, à turba ſupplice prompta coli.
Nil Nucis vmbra nocet, quà Virginis Ara relucet,
Quam ſuper illapſus venit, vt vmbra, Deus.

SVccedit ſuis Reliquijs in locum Vrnæ Neronis Ille Priſcus, qui Amphoram aquæ portans dignus fuit domo IESVM excipere antè triumphi diē exhibiturum ſolemne conuiuium, nobiſq; illud perpetuò propagaturum, quaſi quotidiè in nobis triũphet. Præmonuit nos eius aquæ nitor, quo candore animi accedamus ad menſam paratam nobis ſudore non vultus noſtri, ſed ſanguinis decurrentis in terram. **S. Priſcus.**

128 D. PRISCO.

IN manibus Priſci prænunciat Amphora Cœnam,
Illa ſed eſt nobis Amphora facta Calix.

ANaſtaſiæ Virgini Carnifex, vbera, dentes, capillos, & vngues auulſit: & quia nequibat Virginem ad Deos deuoluere, tentabat membratim conuellere. Adeo glorioſum fuit ſacræ Virgini articulatim potius per ſingula membra mori, quàm ne lato quidem vngue à Chriſto ſeiungi. **Anaſt. V.**

129 S. ANASTASIAE V. ET M.

INfelix operis summa: vngues, vbera, crines
Vellit Anastasiæ, qui cor habere nequit.

Sept. Dorment.

MAluerũt septem nobiles Ephesini Milites post varios cruciatus in speluncam claudi, & per trecentos annos ibi dormire, & mori, quàm vigilare ad obsequia Deorum Decij, & viuere. Illud Antrum crediderim Morphei, in quo si mors illos non rapuit, somnus saltem mortis frater placidissimè cõsopiuit.

130 SEPTEM DORMIENTIBVS.

POst varios casus, Diui, requiescite: vobis
Somnus erat quasi mors: mors quasi somnus erit.

Obeliscus.

FAstigiatum hoc marmor Sixtus V. Romam venientibus obiecit. Sisyphum crederes Sixtum in tot conuoluendis saxis occupatum, ni genuina appellatione Felix fuisset. Tres Campi olim Martij vias vides, Rectam propiorem fluuio, fornicatam Tiberi, & mediam Flamminij: viam fornicationis nunc semicaper Pan, Numen nobis ridiculum, priscis reuerendum suo nomine, & fonte designat, ibiq; suum Lupercal, Lupanarquè custodit.

Via Recta

131 PAN IN FONTEM TRANS.

ESt mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, qui bibit hinc, sentiet esse pares.

Eia

Eia ſititores, calidas horrete; propinat
Panica lympha ſitim, Pan ſine pane famem.

132 DE EODEM.

PAn effundit aquas; abeas quicunq; fameſcis;
Pane nequis ſolo viuere, ſed bibere.

PRo veteri recta, quę minorem mittebat in campum, aut deſinebat in fluuium, nunc tres longiſſimæ diriguntur, ad Quirinalem, ad Capitolium, ad Alexandri Circum. Vide, quantus amor recti noſtris inſit Quiritibus, vt vni tria ſubrogent, & æque gaudeant rectis nunc vijs, ac olim cœnis. Nouę Viæ.

133 DE RECTA VIA, ET TIBERI.

DIc vbi Recta via eſt? Tiberi ſe iunxit, & ipſe
Tibris non recto tramite ſignat iter.
Flectitur, vt ſeptem Colles curuatus adoret;
Flectitur, vt longas nectat in Vrbe moras.
Scilicet odit iter Rectum, vada recta, viaſq;
Omnia qui paſsim iam ſibi flexa videt.

EN quò recidunt humanæ incrementa fortunæ! De Auguſto illo Romanæ Monarchiæ firmamento ſupererant cineres in marmoreo mauſoleo inter ſyluam populorum, nunc & ipſum Auguſti nomen, veluti peſtem è ſepulchralibus ruinis D. Rocchus expungit. Auguſt. Sept.

134 DE MAVSOLEO AVGVSTI.

POpulea positus iacuisti, Auguste, sub umbra,
Siccaq; frondosum condidit ossa nemus.
Sæpe tibi zephyris mota ceruice supremum
Insonuit tremulo murmure Sylua, Vale.
Aut amet, aut metuat populus tua busta necesse est,
Vilis amet Populus, populus alta tremat.

S.Rocchus ODit Gallus hospes Rocchus ingenita libertate Augustum, non vtile Mundo exemplum, tot gentes posse sub vno esse Viro. Indignatur hominem se Deo componere, qui solus omnia regit; qui tamen immensus ita se in tres effundit Hypostases, vt quodammodò videatur omnia speciosiùs exequi, pleniùs implere, cumulatiùs complecti.

135 D. ROCCHO IN AVGVSTA.

OCcupat excelsum pius aduena Mausoleum
Rocchus, & Augusti nomina prima premit;
Ipse quidem suetus pestem depellere mundo,
Cæsareos cineres credidit esse luem.
Quæ maior pestis, quàm publica prodere iura
Principis adscito nomine, siue Patris?
Qui regit armatus terras sine vindice tutus,
Sit Numa, sit Cæsar, sit Cato, semper homo est.
Rectius an nè regit, qui suffragante Senatu,
Si iubet obsequitur, si regit, & regitur?

Ne-

NEroniana Prata trans Tiberim ad Pontē Miluium extendebantur: ibi Domitiæ Horti Sepulchrum, & Hippodromus Adriani. Inde castrametatum Porsenam confičto celebri mēdacio Mutius summouerat, quando Campus Sceuolæ donatur; quemadmodum antè Cocliti defensori Pontis claudicanti. Voluit Populus Romanus suis sub oculis assiduè versari illorum suburbana dona liberatorum, quibus inuicta virtus, & fortuna tantum contulerat pręmij, ne possent, vel manu gestire, vel mouere oculum, vel pedem figere, quin protinus de suis triumphis admonerentur. Prata Neron. Prata Mutia.

136 DE PRATIS MVTIIS.

EIus Prata vides, Patriam qui penè ruentem
In cineres tosta traxit ab igne manu.
Clœlia vicit aquas, statuamq; recepit equestrem,
Nam Deus undarum stemmate gaudet equo.
Dat tua, quæ tenuit Patriam tibi, Scæuola, nomen
Dextera, dat victus mollia Prata focus.

AN Gigantum staturam excesserant duodecim Cæsares, vt Augusti Mausoleum plures non caperet, si latius alterum extra Portam Aureliam, & trans Tiberim non excitaret Adrianus? Hanc igitur Molem Aelius auspicatissimè fundauit futuram secuturis Cæsaribus sepulchrum, Vrbis Aerarium, & Arcem, Templumq; cælestis Angeli præsentia consecratum. Sep. Adriani.

137 DE MOLE ADRIANI.

SVperba Turris Aelij
Fit Arx ſequaci ſeculo,
Et è Sepulchro Cæſaris
Fit conditiuum Militis.

Munitiones Vrb. VIII.

FOrtunatum te vocarem, Vrbane (ſi tua negotia meas voces audiri paterentur) cuius in altiſſimo pectore infuſa reſidet cura Vrbis muniendę, dum ad firmandos Imperij tui fines Vrbanam Arcé ædificas ijs in Campis, vbi olim Triumuirorum cōcordia Romanum orbem lacerauit veriùs, quàm diuiſit; dum Romæ hanc molem in formam inexpugnabilis Capitolij redigis, vt æternam ſerues Italiæ pacem, Vrbi cuſtodiam, Templis decorem, ſacris, & Sacerdotibus ſecuritatem.

138 CASTRO S. ANGELI.

FVnereo Moles Adriani clara ſepulchro,
Præſidium Romæ, Pontificumq; ſita eſt;
Cæſarei cineres etiam, maneſq; ſepulti
Pro patrijs pugnant, inuigilantq; focis.
Sic poſtquam in tumulos Arces cecidere, ſepulchra
Pro ſeptem geminis Arcibus alta tonant.

Pyramid. Scip.

ALexander VI. dum viam ad Vaticanum dirigeret, eraſit Pyramidem vocatam Scipionis triumphatoris Africæ, & Hiſpaniæ, nec imparis Alexandro Macedoni. Plures Scipionis fuiſſe infician-

ciantur indignum rati Patriam inſtruxiſſe ciui ſarcophagum, qui volens Patriæ oſſa negauit. At nunquid prouidus Imperator ſuos cineres ijs diſpergendos committeret, qui perforato animo ingentium beneficiorum gratiam recepiſſent, & tam leuiter eorum diſſipaſſent memoriam?

139 PYRAMIDI SCIPIONIS.

CErtet Alexandro Macedum virtutibus ille
Scipio magnanima nemine laude minor.
Sextus Alexander victo licet ortus Ibero
Deprimet inuicti grandia buſta Ducis.
Quin coniurati Patriæ ſolatia Romæ,
Ille negat cineres, iste negat tumulum.

ALteram pariter in Vaticano Pyramidem ſtetiſſe memorant Romuli; ſed deſunt etiam Regibus monumenta, & Victores victis confunduntur, ni blando Apollinis plectro inuicem diſiungantur. Agnoſcat ergo ſibi nimium blandiens ſeculum, pro ſepulchris inſcripta marmora ſperni, viuaſque laudes ſolo felici Scriptorum ſtylo in animis Hominum duraturas incidi. Sep. Rom.

140 RVINIS SEPVLCHRORVM.

QVis ſuper extructo ſperet ſupereſſe Sepulchro,
Si ſuper extinctos lapſa ſepulchra cadunt?
Par Victis Dux Victor eris, cui conticet vna
Inter mille tubas ex Helicone tuba.

Lo-

Hort. Vat. LOca Vaticani aere infami laborantia, in ſuos Hortos diuiſit Nero, ibiq; Palatium ſtatuit, lucos, Vallem, Circum; ibi ad varias ſenſuum illecebras defluente natura egit Aurigam, Hiſtrionem, Piratam, Cytharædum, & interea nec tantillum ab erumpentis artibus crudelitatis auocatus eſt.

141 VATICANO.

FOrtia quò reprimat, legit Deus infima Mundi,
Quò Capitolinos voluat ab arce Deos.
In caput Imperij malè fauſto nomine quondam
Collem ſeptenis Collibus ante tulit.
Limina Cœlorum ſolio fundauit in iſto,
Quod ſibi Pontifices conſtituere thronum.
Cæſaris, & tumidi iactentur buſta Quirini,
Dum iaceant tumulo, Petre, minora tuo.

Campus fornac. PRinceps Apoſtolorum Neroniana omnia in ſuũ cenſum tranſtulit, ita vt vix Neronis nomen aſſeruetur in Campo fornacibus referto, quibus figulina etiam nunc vaſa ex eius campi argilla reformantur, & quotidiè excoquuntur.

142 CAMPO NERONIS.

QVi rudibus teſtis ſcaber, & fornacibus ardens,
In noua digeritur vaſa ſolutus ager.
Illius infenſi locus eſt, ſpatiumq; Neronis,
Qui Patriam diris vouerat ante focis.
Ille ſuperſtes adhuc ſcelerato nomine Campum
Poſſidet, vt terram decoquat igne ſuam.

Gran-

GRandis adhuc nobis reſtat via aſcenſuris ex infera Valle Ianiculum: dicta eſt ea Vallis Inferni, in qua olim Gothi vallum execrabile fixerant, vnde tremefacta præuideret Roma ſuo excidio ingruentes barbaros, vti euocatas ab imis tenebrarum caſtris Eumenides. Vallis infern.

143 DE VALLE INFERNA.

INfera conuallis poſt Petrum ſquallida torpet,
Porta nec Inferni præualet ante Petrum.

IN Vrbis oppugnatione Carolus Borbonius ad Portam S. Spiritus vulneratus occubuit: qui Miles alieno ſtipendio, & venali anima vixerat, ſibi demum deſtinata in prȩmium Roma, præ foribus læuæ huius tabernulæ prætereuntium pedibus ſubtractus, ſub vili tegete terram preſſit odioſam: coactus videlicet & ipſe Auſoniam extremo tellurem apprehendere morſu. Porta S. Spir.

144 CAROLO BORBONIO.

MOrtuus hanc ſteterat Borbonius antè Tabernã,
Bellum cauponans ceu Coquus hìc iacuit.

COntendimus ad Templum D. Onuphrij, hominis ab hominum commercio ſeiuncti. Intuere ſtãtem proceræ ſtaturæ ſenem, defixis in Cœlum oculis, rigentibus gelu, & æſtu membris, æreo colore obductum, profluentibus per totum corpus argenteis crinibus eam ſpeciem contraxiſſe, qualem refe- S. Onuphr.

referunt fuſca æra interlita argento. Felix, qui ex eo metallo, quod virtus conflarat, ſibi ſtatuam erexit, nulla temporum iniuria, nullo liuore deijciendam.

145 D. ONVPHRIO.

ONuphrium Mons aureus
Capit: Senex argenteus
Baſi locatur aurea.

S. Theod. FElix & tu Theodore, qui ſuperatis terrę draconibus, & Tyrannis, oblatos tibi Deos aureos vendidiſti: hoc quidem erat illos per manus Pauperum in Cœlum traducere.

146 D. THEODORO.

IN pretium conflas precioſa Idola Deorum,
Grataq; das miſeris munera Pauperibus.
Auro alij vendant Patriam: Tu iuſtius ipſos
Diſtrahis, & donas, o Theodore, Deos.

Taſſus. O Vates etiam poſt mortẽ malè fortunate Taſſe: quam gregale, & indignum ſublimi tuo ſpiritu monumentum poſt fores huius Templi conſpicio! Non ne præſtitiſſet, te ſoli reliquiſſe famæ, quam tibi conflauerat Francorum armis liberatæ Hieroſolymæ Poema, & huius Eccleſiæ Monaci ſat monuerant inſcribentes. Hìc oſſa Torquati Taſſi?

SE-

147 SEPVLCHRO TASSI.

HIc, Torquate, iaces: abſcedite nomina vana,
Quæ nimis eloquitur garrulus iſte lapis.
Nam tumulus Chriſti Franca virtute redemptus
Stat tibi pro tumulo, maxime Taſſe, tuo.

VNius Ianiculi nomina, & partes ſunt Mons Aureus, qui aureis arenis flauet, Vaticanus, & Mons Marij Flamminiæ vię ingruens, vbi armatus inſediſſe Marius creditur, vbi olim Martialis Horti. Ianus pater hìc frequenti in Vrbe ſua regnauit, & hinc felicem Latinis tranſitum in Hetruriam conceſſit; nunc totus Mons abijt in nomen D. Petri. **Mons Aureus.**

148 DE IANICVLO.

MOntem Ianiculum vocat aureo nomine Petri
Roma, ſagax Iano compoſuiſſe Petrum.
Primus in Italiam ſi vexit numina Ianus,
Et vexit primus numina vera Petrus.
Regnabat Ianus patiens cùm terra Deorum,
Petrus cùm patiens, impatienſq; fuit.
Ianiculum tenuit, coluitq; cadauere Ianus,
Ianiculo ceſſit mortua membra Petrus.
Dextra eius baculum, clauemq; ſiniſtra gerebat,
Læua huius clauem, fert ſacra dextra Crucem.
Ianus bis ſenas pedibus ſibi ſubdidit aras,
Et duodena Petro Principe turba ſubeſt.

Liminibus præerat Cœlorum ianitor ille,
Ianitor excelsis præsidet hic foribus.
Tota penes Ianum stabat custodia Mundi,
Et ius vertendi cardinis omne Petri est.
Quid sequor? Anne Petrus gemina cũ claue biformis
Respicit hinc terras, respicit inde Polum?

Porta Septimij. AD caput Longæ huius viæ occurrit Porta Septimij seueri, & fontium apud antiquos: nunc pro Septimiana ara, & Iano, Portam frequentem suis nepotibus reddit Bacchus multa coronatus hedera, proximarum Inquilinus perpetuus tabernarum.

149 PORTAE SEPTIMIANAE.

EVohe Bacche, tua est, fuerat quæ Porta Seueri,
Cara Taberna tuis, Euohe Bacche, tua est.
Perdidit antiquos fontes, nomenq; Seuerum,
Et placuere graui pocula Septimio.
Imò Seuerorum princeps Cato fertur, & ipse
Largiùs exhaustis incaluisse cadis.

Taberna mer. TAberna meritoria, hospitium classiarijs Militibus decretum, debebatur prodigiosè Dei Matri: & decuit hanc primùm in Vrbe Aedem illi publicè dicari, quam scaturientes olei fontes eidem improuiso miraculo iam pridem destinauerant.

150 S. MARIAE TRANSTIBERINAE.

MIlitis emeriti ſtatio, requieſq; laborum
Viſitur hæc Mariæ Tranſtiberina domus.
Hùc fugimus fracti bellis, vbi pinguis oliui
Fons, & de caſto flumina ventre fluunt.
Non paſcat nos pane ſuo ditiſſima Virgo,
Quæ panem Cœli munere lactis alit?

DEducat antiquitas Corneliam gentem ab ipſo Hercule, non te Corneli magnanimæ ſtirpis degenerem probas, dum congrederis cum Marte, vt innuas illum immeritò inter Deos adſcriptum, qui tibi collatus vix homo appareret. Et Quirinus Epiſcopus pro Christo in aquis ſubmerſus gloriatur ſpecioſiùs ſuum corpus Romę deponi, quàm diſcerptum à Patribus Quirini corpus ad Superos euehi. Et tu B. Remigi Galliarum patrone, tuis cum reliquijs requieſcis ad fontes olei, qui iunior demiſſo Cælitus oleo in Epiſcopum Remenſem conſecratus es. **Cornel. P.** **Quirin. Ep.**

151 D. REMIGIO EPISCOPO.

E Cœlo cui vela volant, referetur in altum
Gallia, ne timeat remige Remigio.

TRes Magos primitias Gentilitatis ad nuper natum Deum ſtella deduxit, quos iterum Dei Mater Taberna meritoria recipit. Nullum hìc pertimeſcite Herodem: excutitur Romæ è coronatis **Tres Magi**

etiam

etiam capitibus ferocia, & veri Reges veri Dei obſequio agnoſcuntur.

152 TRIBVS MAGIS.

REgibus accendit Cœlum ſua lumina ſidus,
Fons olei accendit ſidera noſtra faces.

S. Cord. NEc te prætereo Virgo Cordula, cuius nomen niſi fuga innotuiſſet, non claruiſſet gloria. Acceſſiſti glorioſo Virginum, & Martyrum choro auctarium eò ſpecioſius, quo te ſolam è cæteris ſeiunctam mutuæ ſociarum voces non animarunt ad cædem, nec mille peracta funera à cruento patibulo deterruere.

153 CAPITI S. APOLLONIAE.

MIlle tuos paſſim dentes cùm Mundus adoret,
Vnum conſtituat quis tibi, Virgo, caput?
Dentibus euulſis dentes natura reſarcit;
Sed nuſquam poterit par geminare Caput.

S. Callist. P. PRoxima huic Iulij titulo viſitur Calliſti Pontificis memoria, & Puteus, in quem altè deiectus eſt. Vir Tranſtiberinæ Regionis, in qua puer reptauit arena, extremum diem cum laude compoſuit: Atq; vtinã eo ſtudio homines raperentur in Cœlum, quo B. Pontifex geſtijt tendere in profundum.

PV-

154 PVTEO S. CALLISTI P.

VNde alijs hausto dederat baptismate vitam
Callistus, mortem præcipitatus habet.
Per breuiora viæ petijt compendia Cœlum,
Cui Puteus summos iunxit ad astra gradus.

E Gradibus humilis Scalæ Deipara, in Templum euecta septem Collibus adiunxit Carmelum: ad huius ardua fastigia contendunt, quot quot antiquum Eliam imitati, vadentem Teresiam nudis pedibus sequi non erubescunt. S. M de Scala.

155 DE PEDE S. TERESIAE.

HOspes Teresiæ vestigia vise, pedemq;
Pes manet hic nostro regula certa pedi.

IN celebri Naumachiæ Cæsaris loco SS. Cosmæ, & Damiani ædes conspicitur: nec abhorrent pij fratres aquis olim prodigiosi, Romæ apud Naumachiam piè collocari. S. Cosm.

156 SS. COSMAE, ET DAMIANO.

MErgimur, o gemini fratres, duo sidera Cœli,
Nos regite, indomitas qui superastis aquas.
Nauis adhuc Petri trepidat, resolutaq; languet
Inter delicias Turba sepulta suas.
Festinam deposcit opem: date signa, manumq;
Ne cadat in medijs naufraga Naumachijs.

F Con-

S Petrus in Mont. Aureo.

COntendunt ſeptemgemini Colles de patibulo Principis Apoſtolorum, nec minori cum gloria, quàm ſeptem Vrbes Græciæ de natalibus Principis Poetarum. Quod ſi conſcia ſuorum factorum Roma nobis non indicaret locum, vbi venerandus Senex crucifixus eſt, confluentibus ad ſpectaculum legionibus Angelorum, vt marmori impreſſa veſtigia declarant, & auguſtiſſimum Ianiculi Sacellum confirmat; non inuideremus hanc gloriam Vaticano, quin eundem fateremur, tàm mortis Petri conſcium inter figulos iuxta Obeliſcum Neronis, quàm ſepulturæ iuxta Templum Apollinis.

157 S.PETRO IN MONTE AVREO.

COnuerſis in Cœlum oculis, pedibuſq; cruentum
Hinc Petrus ad Superos è Cruce ſanxit iter.
Ad geminas victor metas in agone cucurrit,
Sedibus æthereis compoſiturus humum.
Confixis manibus clauos, Claueſq; recepit,
Vt ſtabili Romam figeret Imperio.
Non aliter moriturus erat mage lætus, vt altum
Conderet his terris Pontificale caput.

Aqua Pau.

PAulus V. formas Sabatinæ, aut Alſietinæ aquæ ſenio confectas reparauit, centenis fontibus auxit, ad caput Ianiculi duxit, & inde vberrimos liquores per ſiccos Montium vertices, per planę Vrbis domos immiſit. Quis ergo Nilum non cenſeaţ his fluentibus ſuperatum? quando ille ſuos incolas veniendo terret, & recedendo fœdat: hæc defęca-

tas

tàs delicias innoxia liberalitate dispensant? Et quid aptiùs, quàm vt sitienti Plebi prouideat aquas summus Sacerdos?

158 FONTI PAVLI V.

OLim vndam elicuit de Pauli vase securis;
Hic viuus viua Paulus abundat aqua.

AScendimus ad Portam, incertum an Ianiculensis fuerit, sat certũ, priuatos Galbæ Hortos, & Calepodij Cœmeterium hac Aurelia Via euasisse in Basilicam D. Pancratij, quam Felix primus condiderat ibidem post mortis certamina recondendus. Nondum tertij lustri fines excesserat Pancratius, cum omnium ætatum tormenta compendio pertulit, & se veritatis assertorem, etiam è sepulchro reuerendum sæpius comprobauit. Porta S. Panct.

159 DE S. PANCRATIO M.

OMnia multiplici cui plena fuere triumpho,
Penè triumphalis cui noua Porta patet;
Corpore qui tenero varij certaminis Heros
Imperiurati vindicis omen habet.
Qui fidei reliquos Athletas nomine vicit,
Laude triumphantem dicite Pancratium.
Viuat, qui voluit Fidei producere fines
Longiùs, ac vitæ stamina prima suæ.

HIc Pancratius alter Antiochenus reconditur à Petro in Siciliam tranſmiſſus. Iamq; fortis Athleta Inſulæ Principi Cœlum aperuerat, cum sẽſit eius loci non fabuloſos Leſtrigonas in ſuum caput obuerſos, & viſo defluente ſuo ſanguine agnouit immiſta ſpecioſis Siciliæ delicijs crudelia tormenta.

160 DE S. PANCRATIO EPIS. ET M.

ANtiphatem, Scillãq; & cũ Cyclope Carybdim
Inuenit in Siculo littore Pancratius;
Cruda quidem trifidæ miracula pertulit oræ,
Quæq; prius res eſt ficta, ita facta alia eſt.

Cœm. Calepod. COgitauit Vrbis Præfectus Vulpianus quomodo Chriſti nomen perderet, & Calepodium Sacerdotem per vias protractum iecit in Tyberim: diſtrinxit gladios in Palmatium Conſulem, & Simplicium Senatorem, iras acuit in nobiles vtriuſq; gentis familiares, & abſciſſa eorum capita per Vrbis Portas ſuffixit; ſed laſſus tanta crudelitate nouit faciliùs animos è Chriſti clientum pectoribus, quã Chriſtum ex animis eorundem poſſe diuelli.

161 COEMETERIO CALEPODII.

HIc iacuit Conſul Palmatius; ambigo, nunquid
Hìc iaceat, vel quo Conſule Conſul erat.

La-

LAxauit catenas, & carceres Artemius, quibus Christianos coercebat, vt se ipsum, filiam, & coniugem Christo constringeret; at lapidibus, & ferro per hanc viam obtritus est. Artem.

162 D. CANDIDAE VXORI ARTEMII.

CAndida grata Viro fueras, contusaq; saxis
Gratior es multò liuida facta Deo.

CLauditis Aureliæ Viæ fastus Victor, & Corona; tu qui miles Italus patria virtute Regnũ Cœli inter Asianas crudelitates, & illecebras tibi fortiter asseruisti; & tu, quæ geminis reclinatis arboribus alligata, pari impetu in duas partes discissa, sideribus propior facta es: vt, quæ tam altè super Mortalium sortem efferebaris, in vtriusq; Mundi confinibus consisteres, & Cœlum, terramq; coronares. Victor, & Corona.

163 S. CORONAE M.

TEmpora frondosæ præcingunt nostra Coronæ;
Redditur arboreis ista Corona comis.

AD Syluam olim nigram progredimur, quam frequens SS. Martyrum cœtus innocentiæ stola candidam, & sanguine reddidere purpuream; Domum, & sepulchrum hìc sortita est olim Sophia Mediolanensis Matrona, fæcunda trino partu, dicam ne Filiarum, an Virtutum? quippequæ Fidem, Spem, & Charitatem enixa est, vt quas infusa diui- Sylua nig. S. Sophia.

nitùs appellatione diſtinxit, ætate adhuc tenera crudeli morte deuotas cæleſti Sponſo quàm celerrimè iungeret.

164 SS. SOPHIAE, ET FILIABVS.

MArtyrij vis magna: manet fœcunda Sophia
Cum tribus in patria, Spe, Charitate, Fide.

S. Cirus. INſcij calcamus ignota Cœmeteria, & in Aede S. Praxedis reueremur Corpora SS. Martyrum Ciri, & Ioannis: Protulit Alexandria Cirum Medicum, qui enixus mortuas gentium animas ad vitam reducere, in læſum incidit Diocletiani numen, ſolis ſe Iouem fulminibus comprobantis.

165 S. CIRO M.

FIt Medicus, non vt ſatietur ſanguine Cirus,
Sanguine qui proprio Rex ferè te ſatiat.

Oſtia. SI ad Oſtia Tiberina libeat progredi, perſenties, quibus primùm faucibus Maris delitias Roma deguſtet, & vndis Tiberinis ad commercia Vrbis euehat. Portus. Si Portum inuiſes, recorderis Claudij, illum quippe extruxit promptiſſimus Imperator totum Orbem Vrbe excipere, & Ciuitatem exteris liberaliter elargiri, hac ſpe fortaſſis, ne Barbarorum ſemen infenſum Romæ vſpiam relinqueret.

DE

166 DE PORTV ROMANO.

POrtũ aperit Nautis: Vrbẽ omnibus: excipit omnes:
Quomodo, nil doctus claudere, Claudius est?

PRæfixa Campis, quæ passim conspicimus marmora, terminos vocauit antiquitas, contumacissimos Deos: his limitibus suos cuiq; fines distinxit. Vides identidem ex impolitia quadrati lapidis caput exire, aut Iani, aut Hermæ, aut Herois alicuius, quem Græca, aut Romana solertia Dijs parem fecit. Termini.

167 TERMINIS ANTIQVIS.

TEmpore quos Latium prisco, peregrinaue tellus
Protulit insignes mente, manuq; Viros.
Finibus agrorum Populus præfixerat Hermas,
Impiger insculptum cingere fronde caput.
Felices nimium Campi, quibus integra virtus
Firmior inflexo marmore limes erat.

PRæ cæteris agnoscere libet Diogenem horridæ virtutis stabilimento conspicuum, cui nil Caninum deerat præter adulationem. Vidisses hinc stãtem in suo dolio Philosophum, inde sua inflatum fortuna Macedonem, quem Cinicus fastidiosè ęstimans à se remouit causatus, interposito Rege, sibi Solem deficere; vt simul innotesceret ius Philosophi in Regem, dum Cinici baculo, Magni Sceptrum pareret Alexandri. Diogenes.

168 DIOGENI INTER TERMINOS.

MArmora complexus toties Sophus ille Caninus,
Deniq; marmoream cessit in effigiem.
Fure vacent Campi, sine litibus este Coloni;
Personat arua Canis, terminat arua lapis.

Porta Por. SVperest vltima propè flumen Porta Portuensis; huic affixum marmor testatur Flauij Stiliconis suasu muros ab Honorio, & Arcadio restitutos. Priusquam Gothos in Vrbem immitteret perfidus Stilico è Capitolinis penetralibus libros Sibyllinos extraxit, ea fretus opinione permanentibus Sibyllarum oraculis Romam capi non posse. Itaq; prius arcana fatorum monumenta proiecit in flammas, & voluit, vt Rutilius cecinit, Parcarum plenas prę-cipitare colos.

169 PORTAE PORTVENSI.

FLauius Arcadio muros renouare cadentes
Suggerit, & lapsum cingere Turre latus;
Inde Sibyllarum fatalia carmina flammis
Tradit, & armatos aduocat inde Getas.
In cineres sic Roma cadit, sic Roma secuta est
Perdita per flammas præuia fata suas.

Camp. Iudæorum. SI oculos ad dexteram flectimus, apparet Campus nudis ossibus albens Iudæorum sepulturæ destinatus, ibiq; ruinæ Thermarum Aureliani. Ad sinistram occurrunt Naualia ad ripam fluminis, &

Pon-

Pontis Sublicij veſtigia.Obnituntur fluuio frumentariæ verſatiles molæ neceſſarium inuentum Magni Belliſarij.

170 SEPVLCHRALI CAMPO IVDAEOR.

DVræ ceruices, incircunciſaq; corda
Aemula corda petris, congrua colla iugis;
Iſta ne venturæ tellus promiſſa quieti,
Corporis vſuram quæ ſibi ſoluit humus?
Oſſa lauant pluuiæ; ſed Chriſti ſanguine nulla
Altiùs impreſſas abluit vnda notas.

ET quis vetat hìc ponere Cenotaphium Vario Heliogabalo, hoc olim de Ponte Sublicio in has aquas præcipitato? Caſus fœdi Imperatoris,qui ſe Solis Sacerdotem iactabat, in mentem reuocat Sacerdotem Pigmeniũ ab anteriori Senatorio Ponte deiectum. Sep.Heliogab.

171 SEPVLCHRO HELIOGABALI.

HIc ſitus eſt Varius;meruit quàm molle ſepulchrũ
Mollis homo, vitijs obrutus, hauſtus aquis;
Polluit aſſumpto ſibi Solis nomine Solem,
Fœdauit tactam vile cadauer humum.
Siccine, Phœbe, tuos ſepelis? tuus iſte Sacerdos,
Mergitur hoc fluuio, natus in Eridano.

GRatias egerat Deo iam ſenior Pigmenius, cui natura indulſerat cæcitatem, ne Iulianum ſuum olim diſcipulum intueri cogeretur; cùm protinus S.Pigm:

tinus

tinus in Tiberim è Senatorio Ponte deiectus, tenebras mutauit in lucem. Non horruit vincula, cui iam pridem totum corpus carcer fuerat cimmerio inhorrens ſitu, nec præcipitium extimuit, qui videre non poterat ſui ſupplicij profunditatem. Appulit ad ripam extinctum corpus, & fortè in Aede S. Saluatoris in Curia latuit, vbi SS. Martyrum conditiua, & pictura eius agones repręſentat; nunc iacet apud S. Petrum.

172 DE S. PIGMENIO.

O Crudelis, atroxq; Iuliane,
Doctorem proprium, ſenem verendum,
Mergis ſub fluuio profundiore.
Nunc es Diſcipulus ſuper Magiſtrum.

Prata Quintij.

HOc ſolum contra Naualia inuertebat aratro Quintius Cincinnatus quando ſalutatus Dictator in Aequos, & Volſcos irrupit, ſub iugum miſit, & ad relictum opus feſtinauit. Diceres ab Equis ad Boues deuolutum, ni vir ſeueræ virtutis indignaretur vrbanæ velitationis ictu perſtringi.

173 PRATIS QVINTIIS.

DAphnides, & palmæ per Quintia creſcite prata,
Prata triumphali ſollicitata manu;
Quintius hic didicit meſſes geminare triumphis
Et Cererem Marti conſociare parem;
Quin ferus ille iugo docuit ſubmittere gentes,
Dum domitos miſit ſub iuga dura Boues.

Ijs

IIs infixum veſtigijs, quibus fortis Fortunæ templum inſtitiſſe ſeniores tradunt, in Hortis quondam Iulij Cæſaris Populo Romano legatis, nunc aſſurgit D.Franciſci domus, quam dum Romæ viueret congruum ſuæ paupertati tugurium inuenerat. Incertum ſe penè hominum Saluator reddidit prolato tam compare ſui ſimulachro, vt tu Chriſtiane Hoſpes, qui non audes imitari Chriſtum Deum, habeas hunc hominem, quem audaciùs imitatione proſequaris. Horti Cæſ.

174 ECCLESIA S. FRANCISCI.

CVi rota ſub pedibus vitro conflata vacillat,
Cuiq; capillata fronte ſuperbit apex;
Quis fortem credat? cedens ſua Templa reliquit,
Senſit vbi moto clauſtra tonare gradu.
Contra Lignipedes quàm fluxa potentia Sortis!
Eliſit vitream lignea planta rotam.

EXuuias mortalitatis Franciſci incaſſum hìc quęrimus, vbi nil reliquit præter amaras arbores, & ſenticeta, noſtræ viua conuitia luxuriæ. Et tamen Mundus non adeò ſuo luxu fatiſcit, quin aſſeclas laborioſæ virtutis identidem proferat, & quotidiè fortiſſimos Commilitones Françiſco Duce ad vexilla Crucis aſcribat. S. Franc.

175 DE SPINIS S. FRANCISCI.

SPonte vepres veniunt: fruſtrà, Franciſce, laboras;
Ritè ſeris ſpinas, qui metis inde Roſas.

Quis

S.Cæcilia. QVis neſcit Cæciliam Gracchorum germen inſigne, anxiam ſalutis ſponſi, & Cognati, accenſæ propriæ domus balneo incluſam, nec demum poſt triplicem ictum obtruncatam, reſignaſſe teſtamento diuitias Pauperibus, & hanc Domum Deo? Quis neſcit hùc olim è Cœmeterio Calliſti translatam, & ſub felicibus Clementis VIII. ſideribus lucem rurſus expertam?

176 DIVAE CAECILIAE.

DEniq; Cæciliam Clementia ſidera Cœlo
Et ſimul illuſtri reſtituere loco,
Virgo, Magiſtra Viro, Martyr tribus aucta coronis
Hoc iacet in Tumulo, quo ſtetit in Thalamo.
Ergo referre tuos, Cornelia, deſine Gracchos,
Præualet è veſtro ſanguine ſola tribus.

VIdit ſuperioribus annis Roma nobilem Virginem lacero collo recubantem, agnouit hiãtia ceruicis vulnera, & ſanguinem genuina electorum ſtipendia: Et tamen hunc forma curis angit inanibus; quot pulchra fuco purpura faſcinat! quin potius clauſis fugaces illecebras oculis tuere.

Barb.

177 DOMVI D. CAECILIAE.

CVr tot Cæciliæ poſt funera lampades ardent?
Coniunxere faces Mors, Hymenæus, Amor.

Qui

QVi Templum Fortunę statuunt D.Chrysogono, id fortè est, quod in Regione Transtiberina Liberæ Fortunæ adscribitur. Id meruit pius Vir, cuius truncum corpus per mare iactatum, indigno naufragio, quasi Fortunæ manu liberatur. Aureus tot Martyrum genitor Chrysogonus aduolauerat Aquileiam, inuolauerat in Dioclectianum, cuius Imperio in denso nemore obtruncatur, ne videlicet huic luco suus deesset ramus aureus, & simili fronderet Sylua metallo. D. Chrysog.

178 D. CHRYSOGONO.

AVreus es genitor, sed purpura iungitur auro,
Vltima dum vitæ ferrea fila trahis.

NEscio quæ Floræ monumenta rusticum vulgus comminiscitur ad S. Chrysogonum; Nō incerta tamen hìc monumenta reconduntur pauci Capilli Capitis nostri Redemptoris. Et quis nouit an illos è veneranda cæsarie decerpserit Hebræorū rabies, aut Militum furor, vt acriùs illuderent captiuo contradicenti Tiberio?

179 CAPILLIS I. C.

QVis Nazareno crines auellere Regi,
Et flauas potuit dilacerare comas?
Caluus an ascendes Caluaria tesqua Pilato
Præside? sub caluo Cæsare, Christe, cades?
Heu cumulare nouos studuit Iudæa dolores
Spinas euulsis impositura pilis.

Ec-

S.Agatha. ECclesia S.Agathæ fuit paterna Aedes Gregorij II. quam, mortua Matre, dicauit, & paternis bonis auxit. Sic fundabat vir exercitæ virtutis suam domum, dum ipsam in Cælestium coloniam traduceret, & Germanos veræ fidei colonos faceret.

180 DE S. GREGORIO II. P.

GRegorium cur non vocet Germania
Germanicum, sub eius albis infulis
Germana terræ facta Cœli filia?

S.Donatus PAuca hìc sunt Lipsana Donati Præsulis, & Martyris Aretini. Donauit vitam mortuis, vt occultos Dominis thesauros indicaret; fractum è vitro calicem reddidit integrum, vt vitreos homines solidaret. Obstupescat Tarquinius ab Aruspice nouacula discissam cotem, plus est vitrea redintegrare verbo, quam discindere silicem ferro.

181 DONATO M. ET E.

DOnatus, non donatus cælestia donat;
Non vendunt, nec emunt munera Cœlicolæ.

Ruff. & Sec. AGnosco veteris vestigia flammæ, quæ non ausa est Rufinam, & Secundam suis in penetralibus tangere. Decreuerat Iudex illibatas Virgines flammis in balneo suffocare, & hanc ipsarum domum hoc inficere opprobrio: sed censuit Deus huic domui ex fumo dare lucē, his focis thura inijci, ipsarumq; patibulo syluam nigrā fieri candidam.

SS. RV-

182 SS. RVFINAE, ET SECVNDAE.

IVppiter incàssum pro Templis stabat, & Aris;
Pro vestris meliùs statis in Aede focis.

MAgnus Pater Benedictus Monachos centuriauit, magnoq; Ecclesiam ditauit patrimonio: vidit sub sua signa Heroas Nigros, & Albos, pluresq; processisse Purpureos, vt propemodum dispositis triplici colore castris totum orbem Christo subderet. Neq; putes hoc inuentum fuisse Mortalium, cùm antiqua illa in pectore summi Sacerdotis gemma colores totidem sibi succedentes referret. Roma beneficiorum memor in Ecclesiam transtulit Domum, quam iuuenis Benedictus incoluisse fertur, quando litterarum ergò Romæ morabatur. S. Bened.

183 D. BENEDICTO.

ROma Domum, Benedicte, tuam custodit in æuũ,
Tam Benedictus eris, quam benefactor eras.

ALienis mensibus flores, & fructus aduenæ, pandunt munera Virginis Dorotheæ. Admirata est bruma veris, & autumni stipendia suis rigoribus infundi. Miratus est Theophilus peregrinas felicioris Mundi delicias, & sensit his pomis se peti, & ad cęlestes Hortos prouocari. Obtinuit Virgo, quod voluit, dum è visceribus hyęmis Rosas extraxit, & suo imperio parere coegit rerum naturam, quæ ad leges humanas non componitur. Quid S. Doroth.

ha-

habent cum nostris Virginibus exitiales Pandoræ? quid Pomonæ viles, & Floræ?

184 S. DOROTHEAE.

Dorothea iaces, tumulo date munera florum,
Spargite purpureis lilia mixta rosis.
Reddere collectos Paradisi ex arbore fructus,
Pro sibi collatis floribus illa potest.
Floribus, & Pomis Superos inuitat ad Hortos
Nostrum, quod Pomo perdidit Eua, genus.

S. Bonosa. Malè se habeant Bonæ Deæ, dum suis in Aedibus reueremur Bonosam Virginem nobilissimam, quam olim è tuis sedibus, ò Roma, excluseras, vt in Portu Romano opprimeres. At benè cessit, vt Mare ipsum, quod vix recurrentibus hinc inde nauibus tunc sufficere credebatur, famam Virginis Bonosæ multarum Martyrum Antesignanæ plenis gloriæ velis ad externa orbis littora gloriosè trastulerit.

185 D. BONOSAE.

In Maris aspectu perimunt te, Virgo Bonosa,
Nunquid vt iratum per Mare sanguis eat?
Sanguine placauit ventos, & Virgine cæsa,
Teucria cùm peteret Pergama Græca phalanx.
Nulla procellosi metuenda malacia mundi,
Dum nostros cursus Diua Bonosa regat.

Exu-

EXulat in medio flumine insula Tiberina, & tãquam pars Ciuitatis sub forma nauis ibi religata bifidæ Vrbi committitur, hinc Ponte Cæstio, inde Fabricio. Seueritas P.R. hoc trophæum erexit superbiæ Regum profligatæ, dum iactis ipsorum messibus in flumen, iecit hærentibus paleis fundamenta Insulæ superaturæ suo stabilimẽto Babilonios muros, & Venetarum miracula molium super duritie marmorum, roborumq; firmata. Proferat Græcia feraces Campos armatorum, se Tarquiniorum campus exeret fertilem Insularum: hoc prodigio explorauit se Campus Marti consecrandus. Insula.

186 INSVLAE TIBERINAE.

EMinet in fluuio, bis mille recenset aristas
Insula: quid mirum, si mera messis erat?

NEc præter stuporem, Hospes, inspicias Insulã temerè extructam, per tot sæcula non erasam attritu fluminis, excursu temporis, Barbarorum machinis. Numen hìc habitat, non fabulosus serpens Epidaurius, non Faunus, non Lycaonius Iuppiter; sed filius suspendentis aquas regali stirpe satus D. Bartholomæus; illemet Apostolus, qui si non habuit retia, quæ relinqueret, habuit suæ stirpis purpuram, habuit suæ pellis spolium, quæ omnia pro Christo libens exueret. S. Barth.

187 INSVLAE S. BARTHOLOMAEI.

INsula Phœbæo celebris quæ fertur ab angue,
Estq; Licaonij nomine dicta Iouis;
Bartholomæe, tuum corpus, nomenq; recepit
Nec minus ad titulos enatat apta nouos.
Missus quippe lupos inter velut agnus, & ipsam
Visus es vt serpens deposuisse cutem.

S. Aldab. NOn ne hic Apostolus in Lycaonas missus? non ne excoriatus? Extruxerat Otho III. hoc Templum D. Adalberto Episcopo amico suo, recenti laurea Martyrij tunc in Prusia coronato; quod dum anxius studet D. Bartholomæi corpore locupletare, cessit Templum recentis Martyris, in nomen Apostoli senioris.

188 S. BARTHOLOMAEO IN INSVLA.

TIbridis in medio cur stas, sate sanguine Regum?
Nulla fuere tibi retia, nulla ratis.
An quia lustrato remeas spoliatus ab Indo,
Stare penes Petrum te sine pelle pudet?
An quia non fueras Piscator in agmine Petri,
Ceu Piscatorem Petrus in amne locat?

S Paulinus. COnstat Paulinum charitatis præcordia sortitũ, qui extremo liberalitatis iactu se Barbaris vẽdidit, vt Captiuum redimeret. An vlterius progredi poterat benignitas immensa Pastoris? Et tamen supergressa est, dum post mortem libenti animo su-

ſtinuit è ſepulchro extrahi,& pro Bartholomęo tradi in manus Imperatoris. Non igitur æternum viuat Campani huius Præſulis fama, quem ſilentibus cæteris, vocalia ſuper Turres metalla perpetuò, ferrea lingua, diu, noctuq; reſonabunt.

189 D. PAVLINO EPIS.

EXcudant alij ſpirantia molliùs æra,
Tu, Pauline, facis muta metalla loqui.

IN Inſula Tiberini amnis ſtatua D. Iulij ſereno, & immoto die ab occaſu in ortum conuerſa, monuit orientes ſoles potiùs, quàm occiduos ab ipſis vſq; ſtatuis adorari. Manet adhuc ad fores D. Bartholomæi, olim Aeſculapij, marmorea baſis, & inſcriptio deiectæ ſtatuæ Simonis Magi, ad medicum ſerò deuoluti, vt infamis volatus ruinam repararet. Statua Iulij.

190 BASI STATVAE SIMONIS MAGI.

FLuminis in medio ſtatuam ſtatuere Simonis,
Vt qui non didicit ritè volare, natet.

ALteram Inſulæ partem, ex qua Templum Iouis Lycaonij, Aedemq; Fauni ab incurrenti flumine excuſſam cernimus, illuſtrat, paterna æde, & tumulo Ioannes Calybita. Exceſſerat hinc olim Iuuenis, nomẽ Chriſto dederat,& per varias regiones peregrinatus, in huius propriæ domus angulo latitabat ignotus, in quo moriens extremum vitæ actum improuiſa ſui agnitione concluſit. Io. Calyb.

191 RVINIS AEDIS FAVNI.

CEssit diuiduas cum Templo Faunus in vndas,
Cessit pro nemorum numine Numen aquæ.

192 S. IOANNI CALYBITAE.

STare tua poteras, Calybita, ignotus in æde,
Hospes enim fueras Tibris, & exul eras.

Nosocom. HVnc locũ nunc obtinent Religiosi Viri, ius Insulæ meliori sorte cõsecuti; si enim hìc exponebatur ægri sanitatem ab Aesculapio impetraturi; & hùc ijdem nunc deportantur, vt sanum corpus, & mentem, sedula seruientium custodia nanciscantur.

193 NOSOCOMIO.

NOs capit, & priscos locus idem exceperat ægros;
Par ægrotare est omnibus, atq; mori.

Reliquiæ. SI Corpora SS. quibus fortunata hæc Insula abũdat, si Theodoram acerbum funus expertam, quia Abundum, & Abundantium apud Aram Iani funerauerat: si Exuperantium, & Marcellum per multos cruciatus ferro, & flammis ad Cœlum elatos: si Taurinum Eboracensem, Herculanum, Gilbertum, & mille alios suis reuerear in tumulis; cuenire mihi sentio, contrà quàm contigit dormienti penes Orphei sepulchrum: si enim ille improuiso spiritu è somno Poeta prodijt, ego horrore reuerendo perculsus propè SS. Monumenta mutus fio.

RVI-

RVINARVM ROMAE EPIGRAMMATVM.

LIBER SECVNDVS.

ASsurgit Vaticanæ Basilicæ veneranda compages super ruinas hortorum Neronis: famulatur crudelis Imperator eius sepulchro, cuius spiritum sustinere non poterat; vt iurè glorietur Petrus, sibi non minùs infensum Neronem suis hortis inseruisse, quàm imperatorijs humeris hinc asportatis ruderibus Constantinum. Quot Pontifices, qua magnificentia, quibus opibus, in amplissima nouæ huius fabricæ structura desudauere! vt vnica in terris Ecclesia Basilicam sortiretur, omniū ferè populorum capacissimam. Vatic.

1 DE BASILICA VATICANA. AD VRBANVM P.

TAm lenta se mole mouet sublimis ad auras
Regia, totq; dies grande recepit opus;
Vt Barberini felix aduenerit æuum,
Imponat summas qui tibi, Petre, manus.
Magne Pater, solus poteras absoluere Petrum;
Nec minor es Petro, quem tua dextra sacrat. Consecr.

S.Petr. PEnes Augusti Naumachiam crucifixus in Ianiculo Petrus, penes Naumachiam Neronis in Vaticano sepultus est: an moriturus senex ab aquarum aspectu abstraheretur, quem maris tempestates felici semper obsequio prouexerant, & cum maria reliquisset, se totum in amaros fontes dissolue-rat? Defertur ad Apollinis templum, qui cæleste lumen mortalibus impertitur; funeratur via triumphali, qui per crucem triumphans vitæ senatum laureatus possidet; collocatur in veteri monumento vndarum agminibus exculpto; vt cuius genas lacrymæ iugiter cadentes exarauerant, ab inscriptis vsq; in sepulchri margine fluctibus innotesceret.

2 SEPVLCHRO PETRI.

HIc situs est Petrus: iacet hoc in marmore petra;
Petra fluens lacrymis, Petrus amore cinis.

Templum ILludunt aureæ Neronis domui auro, argentoq; illusi parietes, decertant rerum naturæ tot signa, & simulacra viuidis planè coloribus expressa, lacessunt solis iubar renidentia tecta, & occurrentes radios acriores allidũt solo, aut clariores ad astra, solemq; remittunt. Spatiatur inter àëris campos, cæliq; confinia sublime tholi fastigium, & fatigatis intuentium oculis, mentes etiam stupore percellit. Adstruit fidem hoc opus Gigantum enormibus fabulis, & insanam appetentium sidera excusat audaciam;

ciam; dum ſideribus propiores per eius templi culmina conſtituimur, cuius ope cælorum Regia mortalibus reſeratur.

3 DE TRIBVN: D. PETRI.

NOs procul à Barathro ſiſtũt tua, Petre, ſepulchra;
Nec procul à Cœlo nos tua templa locant.

OCtauum tamen hoc orbis miraculum ſplendidè auxit Vrbanus VIII. extructa ſub altiſſimo Hemiſphærio, ſuper gemmeas baſes aurea ingentis operis mole. Adumbrat ſepulchrum Petri aulæum iſtud, regio planè more Apoſtolico tribunali protenſum: ſtat in corde templi hoc alterum templum, & breue Cælum interlitum auro, conflatum è metallo porticus Pantheon; vt ſimul appareat veteri cultu, & ære dirutos omnes Deos ſua æra Petro reſeruaſſe, ſuum quod potuere Cælum Petro contuliſſe. Moles ærea.

4 AEREAE MOLI.

HOc, VRBANE, facis Petro vetus eſſe metallũ:
Hæc habet æra Petrus; non aliena facit.

DEſcendimus per plures gradus ad tribunal noſtri Principis, cui aſſeſſores par viuendi norma, nec impar mortis genus adiunxit: conſtat enim in Eccleſiæ fundamenta electos lapides, aut propria vitæ purpura inciſos, aut virtutum ictibus excuſſos. Neq; arbitreris Pontifices Chriſtianorum, quales Sepulch. PP.

victimarios profani seculi, secespita & malleo, laniorum instar stillanti tabo assiduè perpluentes; nã magna nostrorum pars, ęquè claret candore vitæ, ac altera generosi sanguinis profusione.

5 SS. PP. MM. ET CC.

PVrpura Pontifices decorat; stola candida plures
Non rubefacta tegit; nam neq; Papa popa est.

Linus P. PRimus post Petrum Linus longam Pontificum produxit lineam, & hominum ipse piscator Petrus reliquit hanc gloriam Lino, vt fœminas expiscaretur. Siquidem sanctissimus successor non nisi velatas templum intrare condixit; ne fortè nostris illuderent sacris mulieres barbaræ, quæ flammeis obductæ per vias discurrunt, quasi plateas suas nostris templis sanctiores habeant, maluntq; dimidiam lucem frui, quàm totam faciem prostituere.

6 S. LINO P.

HOc Lino, dum sacra facit, Petrus vtitur, aptat
Retia, velatum stat muliebre caput.

Timon, & Shad. REcenserem Honorium, Valentinianum, & Othonem II. hìc requiescere, ni sublimiùs foret in domò Dei seruire, quàm regnare; licet tamen suspicere Imperatores ad Apostolorum potius limina prouolutos, quàm suis è Mausoleis inaniter coruscantes. Cur potius non reueremur Simonem, & Thadæum, quos superba Babilon, ne quid miraculi

culi huic templo deesset, hùc prodigiosos transmisit? Eorum verò capitibus lauri folia immortalitatis symbolo Roma subiecerat; vt quæ Petrum antè donauerat Apollinis æde, hos præcingeret Apollinis fronde.

7 SS. SIMONI, ET IVDAE APOSTOLIS.

SImon, & Iudas satagunt se iungere Petro,
Vult Petrus extinctis fratribus esse comes.

TRansmisit hùc Baiazet ferrum lanceæ, quod latus aperuit Redemptoris. Aduexit huc Veronica impressam linteo eius effigiem sub crucis põdere fatiscentis. Partem Crucis attulit Helena. Obuersantur assiduè nostris oculis ipsa Christi tormenta, & cruces, nec dolore pungimur: reminiscimur nostri Seruatoris memorias, Hierosolymã, sepulchrum, & templum captiua Barbarorum, nec pudore suffundimur. Ferrũ lãce

8 DE FERRO LANCEAE.

BAiaset hoc ferrum misit: nos prouocat armis,
Hæc venit in nostras lancea torta plagas;
Interea propriys transfigimur vndiq; telis,
Prò pudor! & Christi viuida membra sumus.
Eia quid expectamus? an vt post munera teli,
Barbarus huc Solymam transferat, & tumulum?

D. VE-

9 D. VERONICAE.

SIdereos Domini præfers, Veronica, vultus;
Pro Beronicæis hæc geris ora comis.

Caput S. And.

ATtulit hùc è ſua Græcia Demetrius Princeps caput Andreæ Apoſtoli. Debebatur hoc tibi, Roma, ne gemino fratrũ ſidere fraudareris, iam ſolita per vicos, & fora Dioſcuros fraterna numina intonare. Quàm ſplendidè Apoſtolorum Princeps ſenioris fratris caput intra propriæ Regiæ penetralia, atq; adeò in proprij ſolij partem recepit; par ſcilicet fundatori Romulo, qui fratrem mœnia tranſilientem è vita deturbauit.

10 CAPITI S. ANDREAE.

AD Chriſtum frater ſenior te, Petre, vocauit:
Ergo caput terris contulit hocce caput.

Petronilla

REquieſcit apud S. Petrum Petronilla Petri dilectiſſima filia. Protulit D. Senex è maris Galileæ fluctibus hanc ſuam Aphroditim, hoc ſui ſanguinis germen, pulchritudinis flore conſpicuum, virginitatis candore ſpecioſum. Et grandia lilia aurei oris eloquio præſignia, huc miſit Oriens Ioannem Chryſoſtomum, & Gregorium Naziãzenum. Quæ maiora conſenſus Eccleſiæ Romanæ, & Græcæ argumenta diſquiram; cum libeat intueri hæc gemina Orientis lumina, Græciæ capita, Petro ſubmiſſa Vaticano?

Io. Chryſ.

S. PE-

11 S. PETRONILLAE.

PEtronilla Petri dulcissima filia Patre
Impetrat ægra diu viuere, sana mori.
Quis sponsam tali cumulatam dote recuset?
Quis non Pontificis gestiat esse gener?
Imò eadem Virgo hæres est, cui cessit habenda
Multa socrus febris, lacryma multa Patris.

ET, ne purpureæ lilijs desint rosæ, custodit Petrus suos, olim custodes Processum, & Martinianum: custodit præclarissimum Martyrem Tiburtium. Liberiore Cælo frui voluit nobilis Iuuenis, & se supra Deos componere, dum vana simulacra, Cælumq; euertit mathematicum, vnde Parcarum decreta ad ludibrium naturæ vulgabantur. Imperatoris aulæ olim præfectus Gorgonius sale, & aceto conditus hìc conditur. Annuunt Petri gloriæ SS. MM. capita Magni Episcopi, Menę, & Iacobi intercisi. Tiburtius. Gorg.

12 DE S. IACOBO INTERCISO.

ABscissus Christo coniungitur intercisus;
Arctiùs abscissis iungitur articulis.

PRotendunt Petro brachia, hinc lanceator ille, qui lancea arcanos è Domini pectore fontes exhausit; hinc Ioseph ab Arimathia, qui in cōcilium impiorum non abijt, & regia pōpa, nouo monumēto suæ morti iampridem destinato, mundi vitā clausit. Longino.

D. IO-

13 D. IOSEPH AB ARIMATH.

IOſeph ſepulchro caret, vt excipiat Deum:
Nemo ſepulchrum glorioſius tenet.

Humer. S. Chriſtop.

ATlantis inſtar D. Chriſtophorus axem humero torquet: conuincimur hominum menſuram illum exceſſiſſe, qui ſupra mortalium vires ingentia tormenta ſuſtulit, & eloquij viribus tot hominum millia ad Cælos euexit.

14 CATHEDRAE S. PETRI.

NOn de marmoreo; ſed acerno è fragmine texta
Durat in extremum firma Cathedra diem.
Hac Petrus impleuit numeroſa prole ſupernas,
Hæc ſedes blandè parturientis erat.
Nauis erit, ſi ſueta velis ſuperaddere vela,
Namq; fame fractis attulit apta cibos.
Forſan & hæc eadem, ligna hæc ſeruata videbit
Mundus in auguſtum Iudicis ire thronum.

Stragula M.

INtuemur ſtragula Romanorum Martyrũ cruore purpurea: quas tẽpeſtates, quæ pericula phalanx Chriſtiana timeat, dum ſibi hæc vexilla præferat, dum Petri nauis tam ſecura vela præpandat? Hæc metallina Petri ſtatua è Iouis Capitolini ęneo ſimulacro dicitur conflata.

STA-

15 STATVAE D. PETRI.

IN varias quandoq; Deos abijsse figuras
Quis neget? en firmant dura metalla fidem.
En Capitolinum liquefacto Numine Patrem,
In Vaticanum delicuisse Petrum.
Clauibus ergo Petrus trepidantem fulminet orbem;
Forsan & hæ claues tela Tonantis erant.

COlumnas frondibus vitis excultas Romam è Hierosolymis Titus aduexit, vel alius quis è Græcia deportauit. Geminas verò columnas ostentat Roma, vnam in æde D. Praxedis, cui alligatus Christus flagella sustinuit, hìc alteram, cui olim innixus in templo Salamonis turbas erudijt. **Colum.**

16 COLVMNIS.

IMplicitas folijs, & opaca vite columnas
Hùc Solymis capta vexit ab Aede Titus.
Non ibi pampineo poterant turgescere fructu,
Vinea postquam alios venit ad agricolas.
Venit, & æternum stabit; quia Vinitor illam
Non alit, vt Noe, quò mera musta bibat.

17 COLVMNAE, VBI DOCEBAT I.C.

VNa flagellatum tulit ista columna docentem:
Iunxit marmoribus verbera, verba Deus.

Se-

Sep. Probę SEpulchrum veteris, & nouæ legis elegantibus statuis ornatum, claudit ossa Pauli III. Stat pro fonte Baptismatis marmorea arca, quæ Probam tenuit sanctissimam fœminam, & Poetico stylo, sanctorumq; Patrum testimonio celeberrimam. Nulla obliuionis pericula adibit Proba suis inuoluta centonibus, suis è loculis deuoluta; nam Christiana pietas eius Sarcophago, salutares Baptismatis aquas induxit, vt cuius opibus Ecclesia tum primùm nata liberaliter enutrita est, ex eius etiã sepulchro Christianum genus in dies nasci videretur.

18 SEPVLCHRO PAVLI III.

QVas leges statuit Farnesi Roma sepulchro?
Funera quas etiam post sua Paulus amet.

Matilda. NEc meritis impar Probæ armata pro Pontifice Matilda Mantuanum reliquit tumulum, vt suis cum ossibus accederet Petro, & grande elogium, & sepulchrum sortiretur ab VRBANO.

19 SEP. MATILDAE.

LAncea plus fuso placuit tibi rara Matilda.
Digna coli, quamuis mortua, digna rapi.

Stat. B.V. SImulacrum B. Virginis filium è cruce depositũ genibus sustinentis, celebre opus est Michaelis Angeli Bonarotæ. Angelos pacis amarè flentes imitatus, suæ pietatis indices lacrymas è duro marmore excussit, & in oculis amantissimæ Matris diu

du-

duraturas exposuit. Eiusdem artificis opus est pictura Hieremiæ sibi apposita ad faciem manu labra comprimentis.

20 SIGNO B. V.

NAte mei ventris quondam dulcissime fructus;
Heu cadis in gremium, fructus acerbe, meum.

21 HIEREMIAE.

MAgniloquũ facie venerãda agnosce Prophetã,
Funera qui tristi corde tremenda premit.
Audires gemitus, & lamentabile carmen,
Ni sibi compressa clauderet ora manu.

REferunt huius Basilicæ sacrarium olim fuisse templum Martis triumphantis in Circo. Et quid aliud putas plerunq; Deorum templa, quàm loca per Flamines consecrata, angusto sępe gyro vix capacia Sacerdotis, & victimæ? Non ne apud veteres templa vocabantur Cæli spatia augurali lituo designata, inter quæ volantes aues ritè obseruarentur? Templ. Martis.

22 DE SACRARIO S. PETRI.

PEtre, triumphator tua Mars sacraria seruat;
Quis gladium Paulo demat, & arma Petro?

SI septem Ecclesias planetis libeat cõparare, quis non videt primum locum Petro deberi? Si Pala- Pal. Vat.

latium Vaticanum ſpectemus, quis varios Pontificum genios, quaſi totidem elementa inſtauratæ maieſtatis Romanæ non animaduertit? Hic auxit ſtationes domus, ille aulas, & conclauia extruxit, alius picturis exornauit tecta, ille regios hortos diſpoſuit, fontes alius induxit; Vrbanus Bibliotheca aucta, inſtructo Armamentario, iunxit arma litteris: & fuit qui hanc Vrbis partem mœnibus cingeret, & ſuo nomine vocaret Leoninam; vt ſenior Lupa leoninis vnguibus adiectis, nouam Vrbis partem firmiùs retineret.

23 DE SEPTEM ECCLESIIS.

SI prior è ſeptem ſtellis Saturnus habetur;
Splendet Apoſtolico primus in Orbe Petrus.
Proximus officio Laurentius igne coruſcat;
Ergo fulmineum quis neget eſſe Iouem?
Belliger armorum pompa procul Vrbe Sebaſtes,
Ceu Mars inſtanti tempore portat opem.
Sidera cum repetant ſolo ſua lumina Sole;
Omnis Ioannes lucis origo micat.
Crux in Hieruſalem ſubiectas Cypridis aras
Comprimit, occiduo ceu Venus orta mari.
Mercurius valet eloquio, interpreſq; Deorum
Fertur, & hæc eadem munera Paulus habet.
Maior adhuc Virgo, quæ Luna pulchrior implet
Septima ſeptenum lumine plena chorum.
Cui non ſcintillant tales, tantiq; Planetæ;
Illius eſt oculis flamma propinqua nimis.

Reue-

REuerenmur afflata religionis ſpiritu huius Palatij penetralia, & ad antiqua rudera inuiſenda contendimus. Diſcumbit ſuper ſcalam in veſtibulo Hortorum Vaticani Cleopatræ ſtatua, triumphali curru Auguſti ab Actiaca victoria redeuntis inuecta. Huic olim in fontem translatæ deficientibus aquis egregius vates Caſtilionus ſupplici carmine deprecatus eſt lacrymas, & obtinuit: dignum munus officioſo Poeta, cuius ne vota quidem fuerunt ſine lacrymis. Cleop.

24 CLEOPATRA.

NOn ita magnanimo plaudat ſibi Roma Catone,
Cui mea me ſimilē barbara Memphis habet.
Auſa Ioui veſtro latrantem opponere Anubim,
Fœmina ſum noſtrum fortiter vlta decus;
Horruit ad pharetras Orientis Leucas, & æquor,
Palluit ad noſtras hoſtis Apollo rates.
Non fugis, Antoni; ſed carbaſa noſtra ſecutus
Deſeris illecebris regna minora meis;
Si Capitolinas arces inuecta ſubiſſem,
Seruiſſet vinclis Curia capta meis.
Viua meæ poterant vos perdere lumina frontis;
Sed poteram propria ſola perire manu.
Si non capta fui, tua quæ clementia, Cæſar,
Me ceu captiuam, Cæſareamq; tenet?
Inuehis Actiaco ſimulacra ligata triumpho;
Ridet ab Elyſijs vmbra ſoluta choris;
Non erat, vt quiſquam dicteria mitteret in te:
Hæc ſunt viſa nimis marmora muta loqui.

Laoco. IN his Vaticanis hortis ad ſe oculos rapit Troianus ille Laocoon, horrendis Serpentum ſpiris implexus, gemino hinc inde filio paribus nexibus obuoluto. Extat hoc fabuloſum temeratæ Palladis anathema, & ſtatuariæ artis non ſuperabile experimentum. Imitatus eſt artificis excellentiam pari Epigrammatis fælicitate Tebaldæus.

DE LAOCOONTE.

Tebaldæi.

AVdax ingenium fabri, vt certare Mineruæ
Poſſet, & impunè vincere, ſculpſit opus.
Laocoonta feris gemina cum prole colubris
Depaſtum, læſæ terna trophæa Deæ.
Vt cùm læta ſuos dare pœnas cerneret hoſtes
Vincere, non vinci crederet arte fabri.

Statuæ. SI tot marmorea ſigna per Hortos, Atria, & Plateas expoſita in cenſum redigantur, altera Hominum, Deorumq; ciuitas cenſeatur. Inſignius tamen aliquod quandoquè attingimus, ne Reſpublica tòt Heroum inſalutata prætereatur. Ridiculum ſanè eſt tot Apollines, Aeſculapios, & Ioues diminutos capite, manibus mancos, tibijs, & brachijs truncos inſpicere. En ſigna trium Parcarum ſemifracta.

25 DE PARCIS.

TErna Soror, truncis manibus, colloq; reſecto
Siſtitur appoſita vix benè nota colu:

In

In mortale genus forceps diſtricta, retundi
Neſcia, vel proprias meſſuit vſq; Deas.
Cui tandem poterunt crudeles parcere Parcæ,
Cùm ſibi fatales vltima fila neant?

LAborant & Parcæ antiquitate ſua; quòd ſi tales Dij creari poſſent, interire non poſſent, iam plures Deos, quàm homines haberemus: Quàm inſanum erat Deos credere, quos Artificum ictus è lapide excuderant, aut auro, argentoq; hominum auaritia conſecrauerat? Vna defenſio communis erroris, inſanientium turba. Parcæ.

26 CAPITI MEDVSAE INTER STATVAS.

QVis ſcit, an hos proceres, quos circunſtare videtis,
Verterit in lapides prodigiale caput?
Dira quidem facies lucem auerſata, diemq;
Conderet in cæcum ſe pudibunda Chaos.
Quis ſcit, an interea ſibi marmora condat, vt inter
Saxa ſibi tumulum non tumulata locet?

GErnina Tyberis, & Nili grandia ſimulacra, media fontis intercapedine oppoſita diſcumbũt. Tybr. Nil. Tyberis ſui fluminis breuitatem prolata latè gloria compenſat: Nilus ſibi famam conciliat Aegypti fęcunditate, & arcana proprij ortus caligine; nã qui nobis velato apparet capite, alijs fingitur velatis pedibus; ſiquidem hìc quæritur ortus, illic finis aquæ.

27 STATVIS NILI, ET TYBERIS.

AEmula virtutis Tyberinæ femina Nilus
Ah' nimium Romæ perniciosa fouet.
In mare se Nilus septena per ostia voluit,
Centenosq; trahit sub sua claustra Deos:
Numinibus plenus Cœlo gratissimus amnis,
Per septem colles Tybris in astra salit.
Ille superfuso succrescit in arua meatu,
Et fortunatos messibus implet agros.
Turgidus hic vento bacchatur, & ebrius imbre,
Hinc pecus, & caulas, hinc sata læta rapit.
Trudite fœcundum Tyberina in flumina Nilum;
Aut iuuet, aut dominas Nilus adoret aquas.

Pinea. SVperstites è sepulchro Scipionum duo pauones ænei inuigilant æneæ pineæ molis Adriani. Auidus immortalitatis Imperator Adrianus, veluti parietaria, muris omnibus hæserat: sed vbi magnæ matri mortuus hæsit, amatum Cybeles pomum sibi iussit imponi. Rebatur suos cineres perpetua fœcunditate prolaturos Athides è sepulchro, qui viuus Antinoo Vrbes, & templa produxerat; vel prænouerat nostri seculi altas pinus, pendula ab armatæ arcis fastigio vexilla prælaturas.

28 PAVONIBVS AENEIS.

SCipiadum tumulos, statuasq; & gentis, & Enni
Quattuor aligeræ condecorastis aues:

Fo-

Fouiſtis quales Aquilæ Cornelia belli
Fulmina delapſos decidua in cineres;
Cumq; diu ſtaret vigili cum luce ſepulchrum
Penna trecenteno lumine teſtis erat;
Scipiadas qui ſuſpicerent, gemerent ve cadentes,
Vrbem oculos meritis non habuiſſe pares.

NAumachiæ Neronis (vt aiunt) ſuperpoſita æde inſidet D. Peregrinus. Roma miſſus in Gallias, hùc illùc peregrinatus mortem lætus inuenit, inde Lutetiam curru inuectus, rurſus Romã in hunc locum à Carolo Magno translatus, tandem apud D. Petrum quieuit. Aſſerunt Peregrinos multas habere domos, nullas amicitias; hic multas amicitias, nullas diù certas domos obtinuit; ex eorum quippe genere eſt, qui domum hìc permanentem non habent, ſed futuram ſemper inquirunt. **Naumach.**

29 D. PEREGRINO M.

NAumachiam reduci Peregrino Patria ceſſit,
Gallia quem maculat ſanguine, Roma lauat.

AD dexteram Baſilicæ Vaticanæ pauperes, & Peregrini in Campum Sãctum, in ſuam domum, & Terram compendiò redeunt. Hùc omnis via dirigitur, hùc omnis naſcentium ordo contendit: partem tamen fœlicitatis hìc ſepulti obtinent; dum ſuam terram miſcent terræ è Syria aduectæ, Chriſti ſanguine, & lacrymis irrigatæ. Non hoc eſt frui quodãmodo viciniùs ſanguine Redẽptoris? **Cãpus S.**

30 OSSIBVS IN CAMPO S.

VOs quoq; Romanas inter memorabo ruinas
Oſſa peregrinis eruta corporibus ;
Viſere dum Patriæ fumum optabatis, & ignes,
Mors erat in medijs vltima meta vijs.
Morte parabatur, quod viuis vita negabat,
Cum requie campus, cum ſtatione locus.
Romam communem Patriam properaſtis adire ;
Sed Regnum Cœli Patria veſtra fuit.

Scola Lõgob. ANtiquitùs hìc fuerat Scola Longobardorum, & viſuntur adhuc eorundem tumuli, quos Tranſalpinæ Galliæ ſuis è vallibus aſſiduè Romam tranſmittunt, vel quales Erictonios ducendis bigis, aut Ioues Panarios operantes furnis.

31 SEPVLCHRIS PISTORVM.

GAllica buſta vides: quos panibus expulit olim,
Læta ſibi panes pinſere Roma iubet.

Obeliſcus. MIraculo fuit aduectus Romam hic Obeliſcus, & vectoria nauis, exciſus etiam lucis oculorum receptæ miraculo: vana miracula, nullius rei momento conflata. Et quis Apollinem credat de Nuncorei Regis cęcitate ſollicitum? Quis putet hanc partem Montis dilectam Soli, cuius radijs tot natiuos Montium Obeliſcos natura ſubmittit? Quis

Na-

Naues miretur antiquas, si grandibus illas onerarijs comparet, quibus nostra ætas immensa Maris terga defatigat?

32 OBELISCO VATICANO.

Haec septem gemini moles prius ostia Nili,
Dein septemgeminum vidit in Vrbe iugum.
Vidit, & obstupuit crudæ spectacula Romæ,
Dum stetit in medijs sparsa cruore iocis.
Horruit ad strepitus populi, furiasq; Neronis,
Mæstaq; Cæsareos sustinuit cineres.
Deniq; Pontificum Regno seruata videtur
Prompta salutarem sustinuisse Crucem.

Restat ergo vnicum Aegyptiæ tyrannidis argumentum miseras gentes inanibus operibus occupantis: restat magnitudinis Romanæ vestigiũ his lapidibus adornantis circos, libidinum, & crudelitatis promptuaria. Dices Iulij cineres paruo orbe conclusos diu altus apex continuit: egregia fabula: quasi Bruti gladius per Obelisci salebras euitandus. Sapienter Sixtus V. vana proiecit, & totos Obeliscos Crucibus adiudicauit. **Iulij cinis.**

33 DE PILA OBELISCI.

Caesaris exiguus cineres concluserat orbis,
Cui maris, & terræ non satis Orbis erat.

Obeliscis. IN toreumatibus, & Statuis, in ædium structuris, & columnis admiramur artem, vsum, pulchritudinem; in his saxis vnicum pondus leuiter extollimus: ni fortè arcanum stuporem vana mirantibus incutiat, quòd hierogliphycis literis frigida abscondant mysteria. Quilibet suo genio indulgeat, laudent suos Obeliscos Thebæ, Aegyptus, Roma; nil veto: laudarem & ipse, si labentis partem parietis, quasi subijces & armamenta, firmitate sua fulcirent.

34 DE OBELISCIS A SIXTO V. ERECTIS.

ROma senex, Sixtusq; senex sibi mutua præstant
Commoda, Roma seni porrigit Imperium;
Sed contrà lapides Vrbis velut ossa cadentis
E priscis releuat Sixtus in astra locis:
Hinc tonat in triuijs, reboat per compita plausus;
At quàm magnificum saxa mouere opus est?
Vilescunt vastos imitantia facta Gigantas,
Hæc vbi defesso vidimus acta sene.

Platea Vat. LAtissima hæc fori planities Neronem sustinuit suis ludicris immistum plebi, factumq; ex Imperatore Aurigam, & Equisonem. Obtulit idem suos hortos ad varia suppliciorum genera in Christianos, quibus plerunq; molesta tunica pice, & sulphure obuolutis, pro funalibus nocturnis vtebatur.

35 PLATEAE VATICANAE.

HOc Nero quadriugos agitabat in æquore currus,
Hæc ſtetit immiſſis area trita rotis.
Sæpius aurigas imitatus voce, manuq;
Cornipedùm iunctos flexit in orbe greges.
Hinc magè barbariem didicit, moreſq; ferinos,
Nec ceſſit duro è pectore mollis amor.
Quis ſtupor? inter agros, interq; armenta Cupido
Natus, & indomitas dicitur inter Equas.

ANtiquas Martyrum lanienas, locumq; in quo ſaturatæ ſecures ſanguine reponebantur, in quo ſtillantes gladij damnatorum iugulis imminebant, teſtatur adhuc illa Saluatoris ædes in amplificatis S. Inquiſitionis ædibus incluſa. Ibi ferale SS. MM. Macellum à Nerone ſuis pro delitijs ſæpe peractum eſt; & gloriabantur illùc certatim accedere, vt Chriſtum faterentur, vbi noſtra exterrentur ſecula, ne Chriſtum diffiteantur. S. Saluat.

36 SS. MM.

THure Deum placent alij: nos ſulphure noſtro,
Et pice tentamus ritè litare Deo.

NOn alius fortè hippodromus, & Naumachia Neronis præter circum vallis Vaticanę, quò currus, equi, & quandoq; Naues, velut in Euripum inducebantur. In illa æde trans forum nobis oppoſita, D. Catharinæ ſacra, requieſcit, & vixit Galla S. Cathar.

Pa-

Patritia lectiſſima Vidua. Ibi defuncto coniuge, vt illibatam caſtitatem ſeruaret, non horruit fœdari corpus vlceribus, & mentum virili more pilis cõtegi; nec erubuit barbatam fieri ea in Vrbe, in qua non puduit Venerem caluam adorari.

37 GALLAE PATRITIAE.

GAlla comata procos traxi, barbata fugaui,
Viſaq; ſum proprijs barbara patritijs.

S Micha. FLexis genibus per hanc ſcalam ad Michaelis memoriam aſcendit populus; & par eſt, vt tam humilis ad opem Principis Angelorum implorandã nobis aſcenſus pateat, quàm velox illi deſcenſus ad profligandos vmbrarum heſperos, & principes tenebrarum. Magni Epiſcopi, & Martyris hùc corpus prædiues Anagnia miſit.

38 ARCHANGELO MICHAELI.

LIberat, & librat; nos librat, liberat aſtra,
Lancea bella tonans, lancibus æqua bilans.

S.Spiritus. VErum Romanæ pietatis templum eſt locus S. Spiritus nomine celeberrimus. Innocentius III. dum adhuc dormiens populo inuigilaret, viſus eſt proiectos in Tyberim infantes miſero naufragio pereuntes expiſcari; quod vbi re ipſa comperit, in ripa Tyberis hunc ſalutis portum infantili innocentiæ patefecit. Non poterat Romulidarum pudor antiquæ crudelitatis exempla, in exponendis recens

na-

natis, identidem non innouare; at potuit Romanus Pontifex Christianam pietatem in illis excipiendis, hoc publico miserorum omnium asylo, perpetùum stabilire.

39 DE S. SPIRITV IN SAXIA.

PIscatus Pueros hominum Piscator in amne,
Hunc statuit miseris omnibus esse locum.
Lac pueri, innuptæ dotem, medicamen egeni
Infirmis animis, corporibusq; trahunt.
Omnia diuus Amor curat; quibus omnia desunt
Et pater, & mater, sat Pater ipse Patrùm.

ATterit fluuius suo cursu eminentes super Tyberim pontis triumphalis bases. Pons olim aditum præbuit Imperatorum curribus in Capitolium; & fabulantur lege cautum, nè quis nisi nobilis illàc pertransiret. Porta vero triumphalis adeò sua vestigia confudit, vt ignoremus, an tumultuario opere triumphaturis fuerit excitata, an in aditu Pontis, vel vlteriùs Vrbem versus protracta, vel sceleratæ portæ coniuncta. Et quantùm ingentes victoriæ, & triumphi, ab ingentibus rapinis, & sceleribus distant?

Pōs Triūp.

Porta Triump.

40 RVINIS PONTIS TRIVMPHALIS.

SEmita nobilium venientibus obuia pompis,
Ponsq; triumphali fronde superbus erat;
Sed Tyberis victor stantes irrupit in arcus,
Et sibi raucisono murmure plaudit io.

For-

Fornicibus positis peragat sibi quisq; triumphos;
Hos magis excussis arcubus amnis agit.

S. Iacob. ANtiquæ oblationis indices claudit Aedes D. Iacobi duos lapides: alter deseruijt Abrahæ facturo sacrificium filij, alter Virgini oblaturæ filiũ Sacerdoti. Ibi expeditus senex sua viscera patiebatur exscindi, hìc pia Mater suam animam doloris gladio sensit pertransiri; ibi diuina vox ictũ vibrantis dextræ occupauit, & reuocauit impetum ferientis; hìc vaticinium Simeonis nullo remorante Matris pectus transfixit. Credat antiquitas Niobem dolore filiorum in lapidem obriguisse; mirum certè est, hunc Patrem, & Matrem doloris impetu in veros lapides non obduruisse.

41 DE LAPIDIBVS OBLATIONIS ISAAC, ET IESV.

OBtulit his aris Pater Isac, Mater Iesum:
En gemini lapides; spectat vtrunq; Deus.
Dure lapis, cari poteras qui viscera Patris
Cernere, mox natum certa ferire suum.
At tu dure magis, qui verba minacia Mystæ
Audieras Matris perterebrasse sinum.
Virginis hinc animam gladius transfixit acutus,
Hinc patiens Isac vincula sola tulit.

Col. MM. EGregia veterum priuilegia: quoniam indignum censebant Ciuem Romanum ferro percuti, expeditis Lictorum virgis creabant priùs seruum,

vt licenter in ipſum animaduerterent. Simili priuilegio affectæ quandoq; Virgines, quas, quoniam occidere nefas, priùs quàm iugularentur, Carnifex deuirginabat. Extabant in foro geminę obſcuri nominis columnæ, quibus deuincti Apoſtoli, & Martyres ad cædem proceſſuri vapulabant: has in templum Virginis Tranſpontinæ cernimus tranſportatas.

42 COLVMNIS FLAGELL.

IN Ciues extolle tuos has Roma columnas;
Seruos ſeruorum flagra ſubire nefas.

VVlcani Officinam repręſentat fumo, & ignibus prægnans Moles Adriani. In hac ſcæna oīs Romana tragœdia ferro, & armis ſæpe peracta eſt. Nunc laceſſit per iocum quandoq; ſuo tonitru terras, & ſidera; & par eſt, vt fulmina expiranti, Cœlum non fictis fulminibus identidem reſpondeat. **Moles Ad.**

43 DE CASTRO S. ANGELI.

QVïſquis es è Cœlo tactam qui conſpicis Arcem,
Fulmineoq; frequens vulnus ab axe doles;
Parce truces damnare Deos, tonitruſq; Deorum;
Si meritò pœnas Arx nimis auſa luit.
Non ſine conſilio Superùm ſua fulmina librat
Iuppiter, ignaro fulminat iſta Ioue.

Ponti. AElius Adrianus hunc Pontem compoſuit, vt ſepulchrum luſtraturi propiùs accederent: nunc trahit nomen ab Angelo Arcis præfecto, & frequentatur ab incolis Vaticani hominibus magnę ſpei; at læua malorum exercet pœnas, ſontibus ſupplicij locus miſeræ recordationis.

44 PONTI AELIO.

AElius extruxit propiùs, quò peruia Moles,
Ad Vaticanas nunc vehit ipſe domos.
Hinc fortunatas ſedes vaga turba frequentat;
Hinc ſcelerum pœnas noxia turba luit:
Si vetus hunc Pontem nouiſſet fabula; fortè
Ipſum Acherontæis impoſuiſſet aquis.

S. Celſ. QVis te, Celſe puer, inſalutatum prętereat? Prę-terijſti ætatis ſtabilimentum fortiter faciendi celeritate, & te Iuliano Martyri comitem adiunxiſti, vt laudem referres ab illo certamine, cuius te vix ſpectatorem anni eſſe patiebantur. Intulit hùc pedem Magdalena: peccauit & ipſa, ſed ad Domini pedes procidit, & ab eius veſtigijs, ne latum quidem vnguem diſceſſit.

45 PEDI D. MAGDALENAE.

CVrrit, vt effundat precioſum Magdala nardũ,
Et pes ad Domini labitur iſte pedes.
Stat lacrymans mulier, ſed non ſtat lubrica planta,
Quæ ſuper vnguentum decidit vda ſuum.

La-

Lapſa tamen Dominum tenuit, quem lapſa tenebis
Hoc pede, ſi diſcas figere, Roma, pedem.

IN templo S. Ioannis Baptiſtæ præclariſſimæ nationis Florentinæ, ſub altare requieſcunt Prothus, & Hyacinthus Eugeniæ Eunuchi. Non expauere fuſtes, quibus vna ſpes erat in ligno Crucis, vnico corruentis mundi fulcimento; neq; proprij ſanguinis aſpectum timuere, quorum vita profluebat è vulneribus Saluatoris. S.Io.Flor.

46 DD. PROTHO, ET HYACINT. MM.

EVnuchi quæ templa Dei? quas vidimus aras?
En geminos ſacra videas requieſcere in ara.

AD Tyberis ripam tabellas appendebant naufragio ſeruati, hìc vbi D.Blaſius colitur; & fas erat, vt Tridentiferi numinis locus huic cederet, cuius Imperio lacus vndæ in modum telluris obduruerant, vt Sanctum Virum ſubducerent morti; mox hiatus laxaturæ, vt hoſtes ſacrum caput appetentes abſorberent. T. Nept.

47 D. BLASIO.

AEdes Neptuni flauas propè Tybridis vndas,
Nunc ſuper impoſita Blaſius æde premit.
Huic tremuli ſtetit vnda lacus, ſpretoq; tridente
Sulcauit liquidas, & pede preſſit aquas.
Blaſius hoc meruit, cui mille in pectine dentes
Sulcarant longis tergora mille vijs.

Pal.Iulij. IVlius II. operoſus Pontifex altè fodit has Tyberis ripas, vt tribunalia per Vrbem diſpertita hoc vno Palatio componeret. At interpoſita morte, infecta fabrica, vix Iulium nomen viæ reliquit. Traduxerant Hiſtriones locum in ſuas ſcenas, ibiq; aut humili ſocco vitæ Ciuium illudebant, aut cothurnatis pedibus ambiguas Regum fortunas proculcabant. Sed pietas Brixianorum Orcheſtram traxit in templum Fauſtino, & Iouitæ Martyribus, veris Tragœdiarum argumentis.

48 DD. FAVSTINO, ET IOVITAE MM.

OMnia fauſta ferant nobis, Fauſtine, Iouita,
Pectora plena Deo, nomina plena Ioue.

Senenſ. PRæluxere faces, velarunt flammea vultum: nōdum tibi Roma videtur hoc ſatis, vt terra proferat, quas cęlum ſibi digno coniugio deſpondeat? Senenſes ſuæ amantiſſimæ Virgini Catharinæ hoc loco cęleſtia ſponſalia memorant, digitumquè cuſtodiunt, in quem annulus tanti myſterij pignus, & firmamentum immiſſus eſt.

49 DE S. CATH. SEN.

PAr Iouis æthereæ fuit annulus ille catenæ,
Orbe ſuo ſummis nexuit ima polis.

Neap. TErra voluptatum quondam, nunc terra laboris, & Terreſtris Paradiſus clementiſſimo Cœlo fortunata Neapolis, deduxit antiquam S. Aureæ me-

memoriam in nomen Spiritus Sancti. Nobilis virgo Aurea cādentis ferri ſtigmate notata, didicit aurum purius è maris, quàm è terræ viſceribus erui. Iactet Græcia Argiuam Danaem auro perfuſam, marinis expoſitam fluctibus, noſtri maris littora feliciter emenſam: habet Roma hanc Virginem, quam ferrum, & ignis explorat, idemq; Mare ad idem littus expellit, quam ſuo Deus amore ſibi conſociat.

50 D. AVREAE V. ET M.

Oppreſſit Danaem pluuio ſi Iuppiter auro;
Opprimis aurifluos, Aurea Virgo, Ioues.

Regium Farneſij Palatium ſuis abſolutum numeris ſe viſendum offert: inter alias tantùm caput extulit Sereniſſima Domus Farneſia, vt indice non egeat. Satiùs ergo mihi eſt lapides alloqui, & inſuſurrato in aures carmine reſponſum ab Hercule marmoreo expectare. Farneſ.

51 DE STATVA HERCVLIS.

Horridus ab nimiū Deus, & tu maximus ille es,
Tu Iouis ille trinox Amphitrioniades?
Induis, imò animas villoſi terga Leonis:
An ne anima, vt viuat nobiliore fera?
An ne tibi talem neuiſti pollice veſtem,
Cum traheres iuſſa mollia fila colo?

52 RESPONSIO.

NOn me palla rigens auro, vel murice pasta;
Sed cutis è fuluo tracta Leone tegit:
Quis mihi parta meo vetet indumenta labore
Ferre? meum neuit mi mea dextra sagum.
Horrida fatales mihi pensa dedere Sorores,
Claua meis manibus lignea, fusus erat.

Taurus. EN Zetus, Amphion, & Dirce, & Taurus, vinculumq; ex eodem lapide à Rhodo aduecta, opera Appollonij, & Taurisei, rara quondam domus Pollionis ornamenta. En Antiope exsoluta, en Dirce vinclis alligara, mox raptatu bouis in fontem Dircæum resoluenda. Obstupuit Taurus conuersam in lymphas Nympham, & pedes liquefactis laticibus libens immersit; vt si minùs æquaret fortunam Europęi Bouis, saltem non inuideret glorię Pegasi Bellerophontis.

53 STATVAE ZETI, ET AMPHIONIS RELIGANTIVM DIRCEM.

ZEtus, & Amphion rapiunt, religãtq; Nouercam,
Illa fluens fletu pendet ab ore Bouis.
Vinxerat Antiopen, alienum ingressa cubile,
Imò Lycum nupta, soluit amore Iouem.
Ah fuerat meritò vinclis dignissima Tauri,
Mutua quæ potuit rumpere vincla Tori.

Re-

REgia Statuarum hæc eſt, in qua redactum ſuſpicis, quid quid mirabile ab induſtriori Artificum cęlo vſpiam deductum. Credas in lapides conuerſos potius tot Heroes, quàm fictos; neq; vnã hìc videas Venerem; ſed multiplices Aphrodites, Hermas, Hermathenas, Hermaphroditos. Statuis.

54 STATVAE HERMAPHRODITI.

E Ferrugineo Lybies, rigidoq; baſalte
Integer hic animam ſemiuir intus alit.
Priſcus ab aurifera Pactoli, aut Salmacis vnda
Redditur artifici mollior iſte manu:
Nil animo poſſunt ferrum minuiſſe, vel aurum;
Purior eſt auro, durior eſt chalybe.

TRia breui gyro hoſpitia complectimur. Primo recepit Paula Hieronymum è Syria reducem: conſtat venerandum Senem, vbicunq; pedem figeret, impreſſa Charitatis veſtigia, & nomen reliquiſſe. Secundo Thomas Cantuarienſis exul exceptus eſt: prælulit varijs ſuæ vitæ procellis ſecuturæ tot Martyrum tẽpeſtati, è cuius capite Anglus Rex cerebrum priùs per Eccleſiæ pauimentum diſiecit, quàm contra Eccleſiam mentem flecteret. S. Hier. Char.

55 D. THOMAE CANTVA.

FRange caput, capitiſq; meam, Rex, tolle coronam;
Maius aperta mihi frons diadema feret.

S. Brig. TErtium ſacrauit hoſpitium Brigida: hùc & ipſa venit relicta Aquilonari regia; vili habitu ſtipem quæſiuit, & ſe totam in Christi pauperes erogauit: vnde ad commercia Cœleſtium admiſſa, incùm adhuc verſaretur in terris, meruit oculos immittere in caliginem ſeculorum, & ab ipſis ſtatuis viuæ vocis oracula impetrare.

16 D. BRIGIDAE.

NOn ſuperet lauros Cumeæ Vatis, & annos
Brigida, ſi præſens tempus in omne fuit?

Bonon. ET tu, Bononia, tres ampliſſimos Eccleſię Proceceres, Ioannem, Thomam, & Petronium, hoc templo, nec ingenti, nec abſoluto coarctaſti. Pendet opus interruptum vicinis obſeſſum ædificijs. Et quid profuit Petronio, tuum nouis mœnibus protuliſſe pomœrium? templis, & ſacris Ciuitatem ditaſſe? Imperatorijs muneribus auxiſſe Gymnaſium? ita vt ex nido Philoſophorum euaderes in Iuris oraculum; ſi demum tanti benefactoris merito templa rependis imperfecta? Athenarum gloriæ ſubſtitui glorioſum; moribus ſuccedere indecorum.

57 S. THOMAE DE CATENA.

ELigis in titulum tibi Felſina docta catenas;
Sat ſapis obſequio, quæ capis apta tuo.
Felſineos muros auri cinxiſſe corona
Rex Sardus voluit, nec tamen obtinuit.

Nul-

Nulla corona tibi par eſt, tibi nulla catena,
Aurea nulla ſatis, ferrea nulla nimis.

IN catenis, & in ſepulchris inuenti olim Bononiæ ſapientes, vel ſcilicet pluteis alligati, vel tumulis compreſſi. Fragor cadentium aquarum ab oppoſito ſpecu commiſtus murmuri vicini Pontis, innuit Ianiculenſem Pontem olim diſiectum, Sixti IV. liberalitate compoſitum, & Trãſtiberinum fontem ſuper Tyberim à Paulo V. deductum. **Pons.**

58 PONTI SIXTO.

POns Sixtus, Pons Ianiculi, Pons quodlibet eſto,
Noueris authorem dummodo Pontificem.

INteriacebat Campo Martio, veteriq; Pomærio Campus Minor, Tyberinus, Tarratię Veſtalis, & Prata Flaminia, quibus ſpatijs inſedere regiones ampliſſimæ Circi Flaminij, & Viæ latæ. Campi nomen adhuc retinet Aedes Saluatoris in Campo, quẽ frequentant mille priuatorum Caſæ eminentibus tot Principum domibus interpoſitis, quas inter veteres illinc Barberinæ, hinc Spathæ, olim Capiferreæ. **Campus Minor.**

59 PALATIO SPATHAE.

QVod conſpicis Palatium,
Spathæ colunt argenteæ:
Caput, quod effert Ferreum,
Muſæ coronant aureæ.

Arenula. AEdem D. Pauli ad Arenulam creditur idem Paulus ad erudiēdos Christi fideles aperuisse. Seruat hic locus protrita Iesu Christi pedibus calceaméta. Seruat & puluerem non annosum Erythrææ Sybillæ, sed residuum Annæ Prophetissæ, cui diuersorium in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio, quæ cum corporis agnosceret senectutem, pietatis tamen nesciebat ætatem.

60 DE SOLEIS I. C.

DEpositis Vrbem Soleis possedit Iesus,
Quas neq; Ioannes soluere dignus erat;
Promptus amor Christi Zonas dissoluere Cœli,
Atq; animam proprio dissoluisse sinu;
Si tamen humanum scelus vrget, puluerem, & iram
Supra nos istis excutit è Soleis.

Porticus Pomp. ARdores Leonis, & Syrij procul arcuit Pompeij porticus post Aedem S. Barbaræ. Vni Barbaræ capiti, nec integro altas ceruices suas Roma submittit, & clarissimum magni Aquinatis nomen superinducit huic loco, vt noui solis interuentu Pompeianas vmbras prorsus exterminet.

61 D. THOMAE AQVIN.

QVæ benè de Christo scripsit man⁹ aurea Thomæ,
Tot splendet gemmis, quot nitet articulis.

Hu-

HVmanam excedunt mentem Barbaræ Virginis prodigia. Chriſtum nullo docente didicit, tactu molliuit marmora, obuios Montes fugitiua perfodit, greges cum Paſtore conuertit in ſaxa, Patri iugulum obtulit feriendum. Eminebat inter publicæ pœnæ miniſterium ferinus magìs, quã Paternus animus, in quem vindices iræ fulminum protinus inſiluerunt. Infelix Dioſcuro patre filia, ni Deo victima concidiſſes, & felix Dioſcurus, ſi vero Numini tantam impendiſſet ſeueritatem. S. Barb.

62 S. BARBARAE.

BArbarus ille Pater fuerat, tu Barbara non es,
Hoſtia mactatu quæ Patris icta cadis.

FLoralium Campus olim procacibus ludis deſtinatus, degenerauit in Mercatum, & forum Olitorium: flores ſcilicet abierunt in olera, & delicatæ matri Floræ ruſticus Pater olitor ſubſtituitur. Campus Floræ.

63 CAMPO FLORAE.

HInc pudor exceſſit; redeant Floralia campo,
Fac redeat rurſus Flora, pudica redit.

INſederat Pompeij Theatro Victrix Venus, Pompeij animo victrix Flora; Vulgus verò cum Floræ campum Theatro proximum videat, arbitratur reliquias Floralis Circi, quot quot ſuperſtant arcuati operis fornices in Stabulo Vrſinorum, & in Aede B. Virginis dictæ in Crypta picta. Pomp. Theatr.

64 DE THEATRO POMPEII.

FRustra se moles ingens referebat ad auras,
In stabulo tandem depositura caput.
Sufficiens mundo fueras, o Magne, Theatrum,
Scenaq; Fortunæ digna referre iocos;
Victori Maris, & terræ miseranda supersunt
In funus laceræ fragmina pauca ratis.
Fabula sic acta est, lacrymis cui plaudere Cæsar,
Visaq; libertas plangere tonsa Choros.
I nunc Victrici Veneri molire Theatrum;
In Mare, Magne, peris; & Venus orta Mari est.

S.Damas. NOn longè à Pompeij Theatro extruxit Damasus fortissimo suæ nationis Iuueni Laurentio Basilicam, & quo stylo tyrannos confodit, eodem Martyres celebrat, dum Eutichij, Fausti, & Sociorum corpora splendidè recondit. Pugnant ergo contra iniurias temporum memoriæ Sanctorum, & succumbunt monumenta illius Imperatoris, cuius è manu Respublica, Mundus, & fortuna pendere gloriabantur.

65 S. DAMASO P.

HIc Damasus est ille, sine quo Dauid Deo,
Inglorius cantasset absq; Gloria.

S.Andr. THeatrum Pompeij, aiunt, ad ædes Piccolomineas excurrebat, quæ nuper in Sancti Andreę de valle commigrarunt. Hoc Templum non minùs

apta

apta configuratione, quàm versicoloribus lapidum maculis, velut in arctum coacta naturę maiestate, ad se oculos prouocat prætereuntium. Hìc visitur D. Sebastiani inter subditas Cloacæ vndas reperti memoria, quæ suo felici fato instauratricem inuenit Barberinam domum, excultricem Vrbanam facundiam.

66 SACELLO D. SEBASTIANI.

NVdus, velatis oculis ad mille sagittas
Perstabat Iuuenis, ceu pharetratus Amor
Aera per liquidum volucrem potuisset ad astra
Præpetibus iaculis accelerare fugam;
Hùc tamen euolui passus torpentibus vndis
Nabat in occluso gurgite viuus Amor;
Nam Barberinæ portum pietatis adibat
Naufragus optatæ præscius Aediculæ.

ET quæ alia in Orbe terrarum familia Pontifices protulit tam Pios, quàm Piccolominea? Suspexit illos idẽtidem Mundus pro Romana sede hùc illùc transuolantes, & nos post mortem hùc regredi vidimus ad lares suos suis cineribus cohonestandos. Quòd si Andreæ caput iam pridem cum triumpho exceperant, & illi se submiserant in Vaticano; nunc proprijs in penatibus esse gestiunt sub eiusdem Apostoli nomine, & digito.

Piccolom.

Digit. S. Andr.

67 S. SEBASTIANO IN ECCLESIA S. ANDREAE DE VALLE.

APpulit hùc victor miles per tela, per vndas,
Primus inaccessas promptus inire vias.
Forsan militiæ Christi vexilla videbat,
Seq; sub Andreæ senserat ire Crucem;
Hæsit signifero forti fortissimus Heros;
At Piscatori congrua Vallis erat.

Theatr. Balb. LVcius Cornelius Balbus exterorum primus Romæ de Garamantibus triumphauit, & stabile Theatrum extruxit, vbi nunc ædes Cæsarinæ. Indignabatur Roma Gaditanum hominem suis fastis, & theatris inscribere, ni superinduceret nomen Cęsareum.

68 DE THEATRO BALBI.

BAlbe, catenato condis Garamante Theatrum,
Qui prior externas sistis in arce rotas.
Herculeas igitur Romam traxisse columnas
Diceris, at Romæ sola Columna sat est.
Sola Maris metas superat, super ætheris axes
Fertur, vbi nullo mergitur Vrsa Mari.

S. Anna. IVnonis Reginæ Aedem hæc loca memorant. Sed nunquid Iunonis sterilitas tibi comparanda est Anna Sanctissima, è cuius sinu tres filiæ, tria quasi maria prosiluere? Prosiluit illa, cuius purissimo sãguini se Deus infudit; secunda, quæ Simonem, Iudam,

dam, Ioſeph iuſtum, & Iacobum peperit: tertia, ex qua Ioannes, & alter Iacobus exortus eſt. Et quæ alia nobis ingeratur Berecynthia mater, centum complexa nepotes, omnes Cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes?

69 ANNVLO S. ANNAE.

ANnulus æternis non impar orbibus hic eſt:
Annulus eſt Annæ: reuoluta reuoluitur Anna;
Annulus & totos voluetur vt Anna per annos.

DIcebatur hic locus Aedes S. Mariæ in Iulia, priuſquàm transferretur in nomen S. Annæ ab Eugubina Sanctutia virilis virtutis fœmina, quæ hìc reconditur. Iulia fortè porticus hìc erat Pompeij coniugis nomine, & Iuliarum Cæſaris filiæ, & amitæ ſepulchra non aberant: cedunt tamen magnę Matri Annæ priſca nomina; cum plus ſit, diuinum ſtemma ſuo generi inſeruiſſe, quàm Iulium. Sep. Iul.

70 SEPVLCHRO IVLIAE.

NAſcor Iuleo de ſidere, nuptaq; Magno
Sum Patriæ vinclum, mortua diſſidium.

LVcia Romana nobilis matrona filium peperit, cuius accuſatione damnatur. Et quis neſcit militem, à quo Imperatoris iuſſu pia Mater extra portam cędebatur, in lapidem tranſmutatum, ſuperſtite Lucia Vid.

ſtite manu palpitante Carnea, vt verè carnifex appareret? Et quis neget illi filio cor fuiſſe lapideum, qui tam ſcelerato parricidio potuit inquinari?

71 DE S. LVCIA VIDVA.

DVruit in lapidem tibi cor, duriſſime fili,
Cùm Matrem prodis, cor tibi ſi quod erat.

Rel. S Cyp TAntum animæ morituro ſupererat Cypriano, vt dilectiſſimos fratres ad ſupremum certamen animaret, & obſignatis ſuo ſanguine litteris Stantium firmitatem ſui exempli prouocatione ſolidaret. Prodigus ſuæ vitæ Pontifex noluit mori gràtis, & priuſquam gladio feriretur, iuſſit Spiculatori aurum dari; vt quæ mors Sanctorum in conſpectu Dei pretioſa eſt, pretioſa etiam oculis hominum appareret.

72 DE PORTICV POMPEII.

POrticus immenſis centum ſuffulta columnis
Ocia Pompeij munere læta dabat:
Iſta reponebat Patriæ ſolatia victæ,
In quibus & poſſes viuere, Magne Cato,
Pompeia ſiquidem ſatiùs requieſcere in vmbra,
Quàm Lybiæ Soles, & tua tela pati.

Port. Pō. OPinantur Pompeij porticam ad Aedem S. Nicolai in Calcaria productam: vtcunq; ſit, vicina erant Theatrum, Porticus, Atrium, & Curia: illa met Curia, in qua Iulius Cæſar ad baſim Pom-

pe-

peianæ ſtatuæ, ſub ipſis Magni oculis confoſſus, ad eius pedes tandem procubuit.

73 DE CVRIA POMPEII.

CVria Pompeij vindex Bruto auſpice miſit
Inferias Domino Cæſaris altam animam.
Nomine fatali geminata laude Tyrannos
Brutus ab Vrbe fugat, Brutus in Vrbe necat.
Quid Patriæ non cogit amor? Dare baſia Matri,
Cogit amor Patriæ, vulnera ferre Patri.

SPectabilis in Monte Pietatis D. Martinus; & quia inconſutilem Chriſti veſtem ſeruat, & quia ſuper antiqua Martyrum conditiua fundari dicitur. Tam benè tuam togam cuſtodieras, o Martine, vt in duas partes diſciſſa duobus ſuffecerit, & ſuam quoq; veſtem tibi Chriſtus in Vrbe tradiderit cuſtodiendam. S. Martin.

74 D. MARTINO.

DImidiam Chriſto Veſtem Martine dediſti;
Dimidiam reddit Chriſtus in Vrbe ſuam.

ET Publicolæ nomen hùc ab ima Velia defluxit in Aedem M.V. in familiã Sanctæ Crucis. Benè meruit Reſpublica de ſuo primo triumphatore, & Conſule, de ſuo liberatore, ſepulchrum intra Vrbem, in ruinis propriæ domus ipſi largiendo: nec recens Roma eius nomen aptiùs mortalitati ſubtraxit, quàm memorijs immortalium immiſcendo. S M Publ.

VA-

75 VALERIO PVBLICOLAE.

TAntum Publicolæ fuerat Respublica cordi,
Dirueret proprios Consul vt ipse lares:
Altè habitat quicunq; domum mutare sepulchro
Sustinet, altè habitat, cui domus ossa locat.

S.Valent

ROma olim Valentia dicta sui obliuiscatur, si obliuiscatur Valentini. Sapiens hic vir in media Vrbe, pleno Amphiteatro, suis dictis præualuit contra Claudium Secundum; è cuius capite dum vanos Deos excuteret, sibi caput extra Flaminiam portam decuti sensit.

76 D. VALENTINO.

VRbe Valentinum prohibet, procul Vrbe trucidat,
Cui voluit longum dicere Roma vale.

Circus Flam.

IN medio Circi Flaminij consistit templum D. Catharinæ Cœsiorum magnanimitate restitutum: cessit etiam in nomen D. Catharinæ, ædes altera huic inclusa, nomine S. Rosæ Virginis Viterbiensis.

77 S. ROSAE V.

HAec Rosa Flaminio circundatur hospita circo,
Circi spina suam gestit habere Rosam.

S.Cathar.

ET quis nescit Cypriam Virginem ad sui spectaculum attonitam Aegyptum prouocasse, capti-

ptiuam Christo adduxisse Philosophorum turbam, connexas suo cruciatui rotas dispulisse, & post mortem in Mōtem Sinam Angelorum manu translatā? Intuetur posteritas in hac Virgine impressas diuinæ gratiæ leges, simulq; discit Sinagoga iam veteres vmbras cessasse, quandò secura Virgo in apice Montis consedit, à quo electus populus arcebatur.

78 D. CATHARINAE DE ROSA.

Flaminio centrum Circo Catharina locatur,
Digna theatrali munere, digna rosis.
Ad sua Niliacas quòndam spectacula gentes
Traxerat, & merita munera cæde dedit.
Perstat adhuc victrix; cecidere volumina Circi:
Sic priùs oppositas fregerat ipsa Rotas.

TRia SS. MM. sepulchra hìc reueremur, Saturnini, Sisini, & Romani. Saturninus annorum pondere oppressus non sufficiebat indicto oneri eruendæ arenæ pro Thermis Diocletiani; vnde illi suppetias iunior afferebat Sisinius; Dignus senex, cui valentior ætas opem ferret, & dignus Iuuenis, qui Dei Quæstor in terris Minister bonorum Ecclesiæ crearetur. Par erat, vt Romanum Christo parturiret Laurentius, inter ardentium laminarum fulgores coruscans, maioribus mox flammis inflammandus; ne videlicet huic flammeo Ioui suus partus deesset.

SS. Satur. Sisin. Roman.

DE

79 D. SATVRNINO M.

EIa senex moriture, grauem citus effer arenam,
Hæc alijs Thermas, & tibi busta parat.

Tēpl. Her. SYracuſana Virgo Lucia inſiſtit Herculis inuicti templo in aditu Circi Flaminij. Infractum Alcidis robur tam benè imitata eſt Lucia, vt ſolida mentis, & corporis firmitate aſſecuta videatur illius ſtabilimentum, qui manens immobilis dat cuncta moueri. Inſulam prodigiorum fertilem ad ſui ſpectaculum traxit, & patriæ Syracuſæ plus obſtupuerunt conſtantiam ſuæ Virginis, quàm iactatam ab Archimede vertiginem Orbis vniuerſi.

80 D. LVCIAE.

ALtera pars Circi custode sub Hercule tuta,
Non minùs à Sicula Virgine protegitur.
Fœmineum pectus nil inflexere labores,
Nil iuga centeno fortiter acta boue.
Prædicet inuenta fabricandis orbibus arte
Cuncta Syracusius posse mouere faber.
Orta Syracusis Virgo non posse moueri
Inuenit, & Circi mobilitate frui.

S. Ambr. SInuent alij ſpatia Domorum, adiungāt domum domui, effodiant terram, & quales Terræ filij intra eius viſcera recondantur; fruſtrà conſtruent moles ſuperbas ædium, ni Deus ædificet, aut ædificent Deo. Altiùs eduxit paternas ædes Ambro-

ſius,

ſius, dum adhuc Iuuenis ibi viueret, & Pontificum manu Marcellinam Sororem, & ſocias Deo conſecraret. Hanc Dominus quærebat ab illis domum, vt ſe ipſos ædificarent.

81 D. AMBROSIO.

ROmulus Vrbem auxit ſtupris rapiendo Sabinas;
Prorogat Ambroſius virginitate domum.

ALterum Inſubriæ iubar Carolus, cui iampridem radiatum caput, & media inter Diuos ſedes, auguſtioribus aris inuocatur, egrè ſuum nomen diuidit in tot templa, quot illi à fundamentis excitat Roma: & decet, vt Vrbs tanti Præſidis moribus renouata, nouis eius nomine templis, incendiorum etiam ope excitatis, reuiuiſcat. S. Carol.

82 S. CAROLO.

VNicus es Phenix noſtri tu Carole ſecli,
Et veluti Phenix flammarum è vortice ſurgis.

POrticus Philippi, Auguſti Cæſaris vitrici, inſignes ruinæ extant inter ędes S. Blaſij, & S. Mariæ de Planctu. E picta Beatæ Virginis effigie elicuit lacrymas vnius viri duello pereuntis pertinacia. Habemus itaq; Patronam, quę ſtantes firmat, cadentes erigit, fugitiuos ad ſe redire compellit, & derelicta humanis illacrymari nouit miſerijs. Port. Phil.

83 S. MARIAE DE PLANCTV.

QVisquis es, hic supplex lacrymas effunde dolentes;
Sic docet effusis flens pia mater aquis.
Concipe cælestes è molli pectore flammas;
Sic pia diuino flammat amore Parens.
Ne dubites, flammæ medijs nascentur ab vndis;
Nascitur è media mater amoris aqua.

Mõs Cinc. SAlientes identidem per planam Vrbem colles extruxit, aut ingens alicuius ædificij ruina, aut sagax eorum Ciuium industria, qui suas domos aggerata terra ab inundationibus Tyberis vendicare tentarunt. In hanc speciem assurgit mons, vbi antiqua Cinciorum domus, & D. Thomæ Aedes vatijs SS.PP.& MM.reliquijs locupletata est. Imminet Apostolus Thomas, ac detonat in subiecta Iudæorum claustra, exprobraturus obstinato populo refractarij cordis contumaciam.

84 D. THOMAE IN MONTE CINCIORVM.

ISacidum generi summo de colle superstat
Thomas, qui Domini contigit vngue latus.
Arguit infidam tacito submurmure turbam,
Et monet exemplo credere vera suo.
Sed nimium monitis, nimium tibi, Christe, repugnāt,
Ni tangas digito pectora dura tuo.

Ex-

EXclusit Roma è Christianorum commercio dispertitos olim per Vrbem, & Inquilinos promiscuis tectis Iudæos, protensisq; murorum repagulis intra viles domunculas damnatam Vrbis partem conclusit; & meritò, inquit Ambrosius; nam Iudæorum commercia vitare debemus, quorum etiam confabulatio est magna pollutio. Clauſ. Iud.

85 AD CLATHRVM IVDAEORVM.

DIrectæ quondam Domini moderamine gentes,
Ad Christum reduci mente redite Deum.
Roma quidem, sancta ne passim erretis in Vrbe,
Congregat hoc vno corpora vestra loco.
Sic vtinam mens vestra suis educta tenebris
Congreget ad vestros deuia corda Patres.

VIuant ergo, & viua nostræ Redemptionis testimonia pœnas effusi sanguinis luant. Nunquid assidua ipsorum compressio peruicaciam contriuit, aut elisit superbiam; quin impudentiores exsurgant, & indomabili vsura nostris & seruiãt, & imperent cupiditatibus? non ne anguium more, obtrito capite minantur cauda, atq; latiùs serpunt excitæ pestis contagia (vt Rutilius cecinit) Iudęi.
Victoresq; suos natio victa premit?

Sum.Circ. HAe minæ murorum ingentes, ad quarum cadentes vmbras venales piſces proſtant, an ſumma pars Flaminij Circi, an Porticus Septimij, an Aedes Iunonis, & Mercurij, penes ſuos authores fides eſt: ſat nobis Aedem D. Angelo ſacram, Symphoroſæ,& filiorum corpora cuſtodire. Et quis iuſtiùs Mercurij Aedem ſibi vendicet, quàm alatus Nũtius noſtras preces,& animas ad Superos ferens, referenſq; mandata Cæleſtium? Et quæ Diua acriùs Iunoni inuidiam faciat, quàm Symphoroſa, ſuo filiorum, & Coniugis Martyrio fœcundiſſima?

86 ECCLESIAE S. ANGELI.

SI ſacra Mercurio fuerat, colit Angelus Aedem,
Debita quem donis annua Roma colit.
Si ſacra Iunoni; iacet hic Symphoroſa Martyr,
Septeno ventris pignore iuncta Deo.
Aliger Alipedi donatus munere furta,
Iunoni ſteriles exprobat iſta toros.

S.Symph. PRò quantum conuenit Tiburtinæ Matronæ ſub Adriano cùm Maccabæorum Matre ſub Antiocho! Vtraq; ſeptem filijs ſacratiſſimũ Deo Chorum, & ſacrificium exhibuit, vtraq; quot filiorum funera, tot trophæa ſpectauit: ſed illa ſuorum cruciatibus,vt ſupplementum adiecta eſt,iſta ante ſuorum certamen præmiſſa; vt ſi poſſet, vel poſt mortem,in filiorum membris torqueretur. At nunquid hæc ſeptem lumina à parentis luce degenerarent? hi planetę ſuo aberrarent è centro? Tam concordis

Cy-

Cytharæ fila diſſonarent? Splendebant quaſi ſtellę in manu Dei,quaſi oculi ſupra firmam petram,quaſi lumina aurei candelabri.

87 DE S.SYMPHOROSA, ET FILIIS.

FOecundum Tibur ne dicas,Roma,ſuperbum,
Quidquid adorandum parturit, omne tuum eſt.

POns Fabricius quatuor capitum ob quadrifrontem Ianum dictus Lucio Fabricio curante extructus ſuperbit. Tantum potuit virtus Caij Fabricij paruo potentis,vt alieno operi impoſitum Fabricij nomen decorem conciliet. Pons Fab.

88 DE PONTE FABRICIO.

POntem Fabricius fabricauit,& alter ab illo eſt:
Ille potens paruo; ponte ſed iſte potens.

TV Marcellus eras,cuius nomini hoc Theatrum Augustus poſuit eo in loco,vbi filia Parentem vberibus paſcẽs deduxit ſqualorem carceris in templum Pietatis. Iaciebat tunc ignarus Auguſtus fundamenta Sabellæ domus propagaturæ Aeneadum gentem vltrà Albanos, & Romanos Reges, vltrà Dictatores, & Conſules. Theatr. Mar.

89 DE THEATRO MARCELLI.

Dardaniæ stirpis, Troiani & sanguinis hæres
Durat ab Aenea Rege Sabella domus.
Huic vetus Alba subest, Marcelli insigne Theatrum
Subditur, Augustum seruat in Vrbe decus.
Hæc primos Patrumq; Patres, Patriæq; parentes,
Quin Patriæ veros sola recenset Auos.

Carcer. Carcerem media in Vrbe foro imminẽtem Seruius, & Ancus excauarant. Aperuisse alterum fertur Appius in regione Circi Flaminij, illũq; domicilium Romanæ plebis arroganti titulo appellasse. Hùc vsq; Regio Circi Flaminij producta, forumq; Romanum inter duos montes situm arguit, hos fuisse carceres Appij. Rupes tamen proxima, nomenq; D. Nicolai in carcere Tulliano, Tullianũ esse conuincunt: tu Hospes totum arbitrare; & felicia dicas secula, quæ sub regibus atq; tribunis, Viderunt vno contentam carcere Romam.

90 DE CARCERE.

Vnus si Carcer felicia secula fecit,
Secula non facient plus quàm felicia plures?

S. Nicol. Retinuit D. Pontifex Nicolaus tribus aureis pomis, quasi alter Hippomenes in stadio Veneris euasuram ad impudicitiæ metas trium Virginum inopiam. Operosa manus tria auri talenta tàm Manus S. Nic. splendidè superlucrata illustrat hunc locum, vbi cor

po-

pora SS.MM.Mauri, Simplicij, & sociorum. Pœna horum fuerat lanceis transfigi, in flumen deijci, in Carcere iugulari: nunc horum gloria his lanceis Vrbem propugnat, & carceris tenebras in cæleste iubar transfundit.

91 D. NICOLAO IN CARCERE.

CArceris antiqui tetricis manet illa sub vmbris
Dextera, cui triplex aurea massa micat.
Fortè pius Pastor gestit squalere sub antro,
Pauit vbi furtim filia lacte Patrem;
Vel quia munificus Præsul, quia splendidus auro
Gaudet in informi Carceris esse situ.

POns S.Mariæ olim Palatinus, & Senatorum di- Pōs Senat. ctus excutitur ab incursu fluminis assidua vndarum acie in subiectas pilas irruentis. Tentauit Quiritium cura lapsos fornices restituere; sed artis opus aquarum pertinaciæ diù non restitit. Insula Tyberina tunc aberat, quando ijdem fluctus fundatores Vrbis Infantes hìc expositos exceperant, & illos quasi manu ad Lupercal sub Ruminali ficu leniter adduxerant.

92 PONTI PALATINO.

VNda Palatinum bifido petit agmine Pontem,
Pons tamen excussum tollit ab amne caput.

Et quoties releuant pendentia ſaxa Quirites;
Diuiduo toties impete quaſſa cadunt.
Tybri, Senatorum Pontem, ponduſq; recuſas;
Quippe leues pueros mollius amne foues.

Greg. XIII AVctoritate Gregorij XIII. Pons Senatorius redintegratur, Vrbs nationum Collegijs impletur, Annus reſectis diebus circunciditur. Quòd ſi Draco tertiã partẽ ſtellarum è Cęlo cauda traxerat, Draco præſecta cauda aberrantia ſolem, & ſidera, ſuis ſtationibus reddidit. Senſit munificentiſſimus Pontifex ſibi viuax ſenium ſuper octuageſimũ quartum annum produci; cùm aliquot dies è ſui Pontificatus annis ſibi dempſerit, vt Romanæ ritibus Eccleſiæ aptiùs deſeruiret.

93 DE PONTE RVPTO.

ERexit Pontem, Solem correxit, & Annum
Gregorius, cecidit Pons, manet Annus adhuc.
Nempè ſuper Cœlum, terramq; potentia veſtra eſt,
Indomitas fruſtrà ponte ligatis aquas.

Forũ Piſc. VEſtigia antiquæ fabricæ incumbentis flumini cenſentur veſtigia fori Piſcarij, & ſunt illamet, quæ vulgus vocat Palatium Pilati. Sed incaſſùm, o Pilate, tuum Palatium, & nomen populus addixit fluuio; nam non purgant contaminatũ manus lotæ, nec in aſperſis aqua digitis expiatur, quod famulante impia manu committitur.

PA-

94 PALATIO PILATI.

ABluat vnda licet tua tecta, domumq; Pilate,
Sanguine pollutas non lauat vnda manus.

AEdes proxima Ponti Palatino adiudicatur ab aliquibus Soli, & Ioui, ab alijs Pudicitiæ, à multis Fortunæ virili. Plures duro effossi marmoris testimonio Basilicam Caij, & Lucij hìc stetisse conuincunt, perinde quasi saxa nequeant hùc illùc asportari. Nunc locus nationis Armeniæ hospitio, & Diuæ Mariæ Aegyptiacæ nomini famulatur. Tēp. Fort.

95 D. MARIAE AEGYPTIACAE.

AD nemus, & latebras fugitiua recesserat olim,
Quæ nunc Hesperij Tybris Asyla petit.
Digna fuit mulier, cui vel fortuna virilis
Cederet antiquum, vel pudor ipse locum.
Quæue pudica magis, diua ve virilior ista;
Cui fera silua casam, cui leo busta dedit?

DVas in hac Aegyptia intuemur, corruptam cupidinibus Virginem, & correptam pœnitentia matronam, vt quantum prioribus annis fuerat Idolum libidinis, tantum posteà euaserit specimen sanctitatis: hæc illa est, quæ desertas trans Iordanem regiones petijt, ibiq; quadraginta octo transegit annos ea patientia, vt defluentibus marcore vestibus nuda permanserit; vt quæ in ea solitudine pœnitens se pristinæ innocentiæ reddere satagebat, S. M. Aeg.

prio-

priori quoq; nuditati redderetur. Talem agnouerunt illam inter ſpelæa Leones ſeruientes viuæ, & funebri obſequio mortuæ effodientes ſepulchrum.

96 S. MARIA AEGYPTIACA.

SE nudam folijs ficus velauerat Eua,
Crine meo nudam me pudibunda tego;
Frondibus expoliet ramos, quæ poma reuulſit;
Nulla mihi frons eſt, frons quia nulla fuit.

Tēpl. Port. TEmplum ſphericæ figuræ, vel fuerit vnum è tribus Portuni, vel alterum è duobus Veſtæ, vel vnicum Victoris Herculis; ſat tibi tot nominibus competit, Protomartyr Stephane. Tua verba Hebræorum dura corda diſſecuere, tua viſcera derelictæ pauperum claſſi præſtitere portum, tuum pectus templum fuit ea refertum flamma, cui nil Sinagoga reſtitit, quin ſaxis excuſſa ad apertos ſibi Cœlos euolaret.

97 D. STEPHANO.

SAnguine teſtari Chriſtum, tua gloria prima eſt,
Et tua fœmineos paſcere cura greges;
Pectora ſed niueas eadem reſerantia curas,
Hoſtibus in medijs icta dedere faces:
Non igitur mirum, ſi te Dea candida Veſta,
Creditur in proprijs ſubſtituiſſe focis.
Nec læſus candor, nec flamma extincta; ſed eheu
Obrueris rigida, ceu ſceleratus, humo.

Hic

HIc vbi pars Vrbis de boue nomen habet, constitit mactato boue Hercules: hanc aram luco statuit, quæ Maxima semper dicetur, magnæ Dei Matris nomine exornata. Super Aram Maximam peierare timebat antiquitas exterrita metu clauæ Herculis, quam Aedes proxima canibus, & muscis imperuia custodiebat. Sixtus IV. Aedem diruit, & Herculis æneam statuam in Capitolium amandauit. Ara Max.

98 S. MARIAE IN COSMEDIM.

MAgna Dei Mater, tibi maxima seruiat ara,
Seruiat in pompas terra, fretumq; tuas.
Ara minor Mundo, minor est te Mundus, & ara;
Qualiacunq; damus dona, pusilla damus.
Quæ satis ampla tibi poterunt, o Virgo, voueri,
Cui sedet in gremio paruulus ipse Deus?
Maxima, credo equidem, sunt Mundi crimina, sola,
Quæ potes auxilio reddere parua tuo.

INstituta Elementis negotiosæ, & exercitæ vitæ Roma ablegauit in Græciam, & Insulas literarum studia quasi crepundia puerilia; mox senior hùc illa reuocauit. Gestiebant literarum proceres hùc eloquij catenis veritatem adducere, & Galliarum Doctor Dionysius lætatur, suis reliquijs considere ad has auras nemoris Herculei, plusquam de hominum vita disceptasse ad seueras vmbras Areopagi. Scola Græ.

S. DIO-

99 S. DIONYSIVS AREOP.

PEr Mundi tenebras æterni vulnera Solis
Specto, per tenebras mortis iter facio.
Ipse mihi Sol deficiens fit lucida lampas,
Fit caput in manibus viua lucerna meis.

Vicus Tusc. HAc quondam Tyberinus iter faciebat, & aiunt, Vertumnum cursum fluminis vertisse, atq; operis pretio suis Tuscis tribuisse vicum, vbi & ipse cõstitit, cui Romanum satis est posse videre forum. Nunc verus fori situs hùc illùc distrahitur, & diuersis argumentis modò ad carcerem D. Nicolai contrahitur, modò relaxatur ad carcerem D. Petri; vt à calce ad carceres reuocati, omniq; de foro sublata fide, nos quoq; foro cedamus.

100 DE FORO ROMANO.

GRammatici certant, fuerint vbi Rostra, Forũq;
Parcite; nam res est litigiosa Forum.

Velabrum. HAc olim Tergemina porta, Salinæ, Emporium, Macellum, Forum Boarium. Nauium vectura, aut vela vẽdentibus protensa velabri nomẽ fecere, in Aede D. Georgij ad arcũ Iani Quadrifrontis.

101 AD ARCVM IANI QVADRIFRONTIS.

VNicus heu de tot Ianis stipantibus Vrbem,
Iste quatergemini fornicis Arcus ouat.

Nul-

Nullus prӕterea superest, fugere bifrontes,
Iuit in antiquum Clusius ille Chaos.
Si Ianus vix nostra videt Quadrifronte sub arcu
Secula, num videat plus Quadrifronte Bifrons?

AEdes D. Anastasiæ, in latere Palatini, occupat situm Neptuni ad Circum Maximum. Et sanè templum alicuius Marini numinis superioribus annis apparuit terra coopertum. D. Anastasia naufragio exposita ad Palmariam insulam palmari nauigatione peruenit; ibiq; manibus, & pedibus palo alligata, suppositis flammis rursus in altum soluit. Tẽp. Nept.

102 TEMPLO S. ANASTASIAE.

PEr mare nauigerum Palmaria littora iuxta
Martyrij palmam cepit Anastasia.
Aemula Neptuni templa hӕc contermina Circo
Occupat, vt palmas prompta referre nouas.
Non deerunt palmӕ, cui vinctis gloria palmis,
Ferre globos flammӕ, vincere Numen aquӕ.

IAcet hìc & Fausta Anastasiæ Mater; iacent & Virgines, & Martyres, qui cum Anastasia eidem naufragio obiecti, Romam reduces occisi. Hìc seruantur Panni, quibus Virgo filium inuoluit, vt laqueos nostræ seruitutis exolueret: hìc est Calix, quo literarum Pater Hieronymus sacrum fecit, vt eius fœcunditate Deo facundior fieret. Fausta.

CA-

103 CALICI D. HIERONYMI.

FOecundi calices quem non fecere disertum?
Quem non elinguem reddidit iste Calix?

Arc' Rom. QVot deliramentis scatent loca iuxtà Tyberim? Arcus triumphales Horatio Coclití, & Romulo fallax vulgus imponit; nam nec Romulus arcum vidit, & Horatio statua solùm collocata est, vbi altera Accij Nauij auguris velato capite in Comitio in gradibus ad læuam Curiæ constitit.

104 DE FALSIS ARCVBVS ROMVLI, ET HORATII.

HOspes an exquiris Romano erecta parenti
Marmora de curuis sæpe relapsa tholis?
Hi septem Colles, hoc Cœlum, & campus, & aura
Non ne manent tanto digna theatra patre?
Quid quæris veteres generosi Coclitis Arcus?
Pons lacer in medijs perstat vt Arcus aquis.

Comitiū. NOuacula, quæ cotem discidit, sub terra defossa est, vbi Puteal à Libone forsan penes Arcum Fabianum postea restitutum. Sed quidquid sit, cum locus Comitij excurreret secùndum radices Palatini, Aedem versus D. Theodori, coniectare libet Comitium, & Rostra vetera, contra nos ad Palatium conuersos constituta.

105 AD PVTEAL.

TRuditur in Puteal proiecta nouacula Nauij,
Qui ſcidit indomitam Rege vidente petram.
Functa miniſterio perijt, pereuntq; viciſſim,
Qui coràm duro Principe dura ſecant.
Parcere marmoribus tumulata nouacula diſcat,
Et leuiter ſummos radere ritè pilos.

VLtimum commentum hinc recens pullulat de Theſauro in marginibus huius parui Arcus inuento. Cum enim inſculptum cernatur in marmore tauri ſacrificium, fama prodidit, Taurum peperiſſe aurum. Hanc mihi fabulam, vt veritatem meram, narrabat mea hoſpita non illepida Anus, & ipſa iam penè fabula, neq; narranti non annuiſ; nam & ipſa tremulum mouens cana tempus anilitas omnia omnibus annuit. **Arcus Aurif.**

106 DE ARCV AVRIFICVM.

AVrificum Tauro locus hic inſignis, an auro?
Aurum bos peperit; iam malè notus erit.

DOmus Scipionum in Baſilicam Semproniam olim mutata tranſijt in Baſilicam D. Georgij Militis, & Martyris. Hoc vno Scipione magnitudinem reliquorum metire Romanorum, cuius dextra excutiebantur è barbaris ſolijs tot Reges, quot Mundus ſuis ceruicibus impoſitos vana admiratione ſuſtollit, & ſuffert. **Domus Scip.**

DO-

107 DOMVI SCIPIONVM.

BElligeri perstant arma, & vexilla Georgij,
Hic vbi Scipiadum perstitit alta domus.
Miles hic eripuit serpentis ab ore puellam,
Fata fugat, populos protegit, ense iuuat.
Si duo Scipiades Asiæ, Lybiæq; tremendi
Fulmen erant Martis, tertius iste Iouis,
Iam trifido possunt vti fora fulmine; possunt
Excutere ignaro tela trisulca Ioue.

S. Georg. SVccedit in Scipionum vestigia D. Georgius. Hic eius caput, vexillum, & ferrum lanceæ, qua prosilientem è lacu Draconem dicitur confixisse. Hinc verò aqua emergens, falsò fons Iuturnę dicta, an Curtij lacus, an è veteribus formis scaturiat, non contendo. Permitte tamen, vt mihi ante oculos reuocet Curtij lacum, & cum vulgo loquar, licet vlterius arbitrer protractum.

108 DE S. GEORGIO.

ILle lacus Curtij, Sacrum locus iste Georgij,
Bellica quos iunxit gloria penè pares.
Ambo Equites, ambo armati, caput ambo relinquunt,
Et sacra Romano nomen, & arma foro.
Pro patria, quam quisq; videt, si occumbere pulchrum,
Est pro non visa pulchrius vrbe mori.

Tan-

TAntum æui longinqua valet mutare vetuſtas; iam hæremus de locorum ſtabilitate ſoliciti, quaſi locum mutarent, & loca: adeò enim deformata eſt veteris Romæ facies, tàm grandibus ædificiorum ruinis, tàm frequentibus arenoſi Tyberis inundationibus oppreſſa; vt ſublapſis Montibus, impletis vallibus, & ipſę Regiones ſuos confuderint limites. Si tu hoſpes, inter noua vetus forum occupantia ſtabula, genuinum locum inuenias, in quem ſe Curtius proiecit, inde poteris proiectos pro ſalute Principum nummos effodere, & hæc inſcribere. Lac⁹ Curt.

109 DE LACV CVRTII.

ISta Virum fortem tellus complexa coiuit,
Iſta ſuum tellus Amphiaraon habet.
Curtius hic cecidit: ſi Brutus in oſcula matris;
Matris in amplexus fortior iſte cadit.

GElidum Panis ſub rupe Lupercal, quò conditores Vrbis fluuio delati, cenſetur hoc Templum D. Theodori, illius qui flammas ſuppoſuit templo Cybeles, vt in fumum reſoluto Deorum genere, veſtros Romanæ puerperæ partus infantilibus languoribus fatiſcentes reſanaret. Quod ſi propitiam Romulo, & Remo huius loci fortunam, veſtris quoq; puerulis precabamini; Maiori ſorte vota cumulabit Theodorus, qui totus eſt Dei donum. Lupercal.

110 DE S. THEODORO.

TEmpla Deũ Matris rapidos Theodorus in ignes
Iecit, vt hac omnes perderet arte Deos.
Vt geminam Martis prolem de rupe Lycea
Pelleret, in propria ſede Lupercal habet.
Odit cum Cybele Martem, genitoſq; Deorum,
Vt ſeruet natos Martia turba tuos.

Roſtra. ROſtra noua, è quibus cauſæ ad Populum peragebantur, indicat Aedes D. Mariæ liberatricis, dicta olim S. Syluestri in lacu; hìc enim Syluester infeſtum Vrbi Hydrum contriuit, & virus Lernæo contumacius crucis ſigno profunda voragine compreſſit: hùc etiam voraginem Curtij quidam promouent, & alij Veſtæ templum, aut lucum, innixi effoſſis Veſtalium monumentis.

111 S. MARIAE LIBERATRICI.

HOſpes, perpetuam miſerorum agnoſce Patronã,
Quæ tibi pro Roſtris ſtat vigil antè Deum.
Per ſtyga iactamur, deſperamuſq; ſalutem,
Ni noſtram teneant hæc ſacra Roſtra ratem.
Quas metuis pœnas? quæ Regna inferna paueſcis?
Stat mihi, ſtat Cauſæ tanta Patrona tuæ.

Port. Mug. POrta Vrbis Romuli à mugitu Boum dicta perhibetur penes Palatini Montis angulum viciniorem fornici Septimij. Milliarium aureum inde effoſſum, in cuius cippo numerorum notæ: ne ignarus

rus Viarum Miles, ad quæ loca prænoſceret, alacriùs contenderet. Verùm eædem viæ, quæ aliò tranſmiſerant legiones, hùc alias adduxere, vt cui genti omnia ceſſerant in tributum, cederet & ipſa omnium gentium in rapinam.

112 DE MILLIARIO AVREO.

QVantum diſtarent hoſtes, hinc Roma docebat,
Quos tamen heu didicit non ſatis eſſe procul.

SVbſiſtimus in area templi Statoris, vbi tres illæ Columnæ ſtiriatæ adhuc ſtant. Vouit illud Romulus, cum acies Romana ad veterem portam Palatij à Sabinis fuſa reſtitit: vnde Rex ſpecioſiſſimo foedere violentiùs, quàm Sabinas, in Vrbem ſuã Sabinarum patres rapuit, & eodem die quot hoſtes habuerat, tot Ciues, & Soceros cenſuit. **Tẽp. Stat.**

113 RVINIS TEMPLI STATORIS.

NOn Stator, ſtabilis ſtetit hic tua Romule, virtus;
Non tibi ſtare dedit, quem cecidiſſe doles.

HAs Columnas vulgus vocat fulcra Põtis Caligulæ: & ſanè aliquo Ponte, & forſan ligneo, Capitolinum Iouem Palatio addiunxerat ille humani generis infenſiſſimus hoſtis, ille anxius Imperator vnius ceruicis populo imperare, vt omnem vno ictu obtruncaret. **Põs Calig.**

114 DE PONTE CALIGVLAE.

IVnxisti geminos hoc Ponte Caliggula montes,
Per fora suspensum currere promptus iter.
Optasti totas vno ictu exscindere gentes,
Interea gladijs proderis esca tuis.
Fare, Palatino Capitolia iungere Colli,
Et Populi collum scindere, nunquid idem est?

Tēp. vestæ. AD radices Capitolij Arcum versus Septimij fuerat Aedes SS. Sergij, & Bacchi, ædes D. Laurentij; nunc exoluère: restat minùs incerta memoria Templi Vestæ, quod antiquitatum studiosi mutatum probant in Aedem S. Mariæ Gratiarum.

115 S. MARIAE GRATIARVM.

VIrginis Iliacæ succedis in Atria Virgo,
Qua sine virginitas candor inanis erat.
Palladi, vel Veneri vixit malè credita Roma,
Ne ruat in cineres gratia, Virgo, tua est.
Vesta vale, sine veste Venus, Charitesq; valete;
Tu solem vestis, induis imò Deum.

Aerarium. SAturni tempore, nec auarities, nec improbitas: ideo Aerarium constituère Romani in templo Saturni, antè cliuum Capitolinum, eo fermè, aiunt, in loco, vbi paucis ante annis Sacellum S. Saluatoris in ærario, & statera, Saturnino Martyri sacrum. Hìc ergo contra armatum Cęsarem substitit audax ille Metellus, ne patrimonium, & census P. R. erue-

re-

retur. Pereunt discrimine nullo amissæ leges, sed pars vilissima rerum certamen mouistis opes.

116 AD AERARIVM.

TE Saturne Pater, te Martyr Saturnine,
Te sibi Saluator, vendicat iste locus.
Omnia Saturno fuerant communia Rege,
Est Martyr vitæ prodigus vsq; suæ.
Vt quoq; Saluator dispergeret omnia Mundo,
Crux stetit ad patulas facta statera manus.

SAncti Saluatoris in porticu memoria mutata est in nomen S.Homboni. Hominem accenso lumine quærebat Diogenes, nec inuenit: hunc sibi scrutatus est Deus, quem aduersis exploraret, & Boni Hominis appellatione dignaretur. S.Homb.

117 D. HOMBONO.

VNus homo bonus est, homines si mille recenses,
Inter mille bonos vnus Homo Bonus est.

VIx pedem figimus, quin suppositum nobile aliquod antiquitatis proteramus vestigium. Debemus tamen hoc primis Christianæ Reipublicæ Patribus, qui super antiquis ruderibus, exstructis identidem sacris memorijs, agnoscendæ Vrbis veteris inditia præstitere. Hic vbi S. Aniani memoria est, antiquior altera steterat D.Mariæ. S.Ioannis decollati Aedes, dicebatur prius S. Mariæ ad fossam, & forsan ibi Ianus ad imum Argiletum. Argilet.

118 D. IOANNI DECOLLATO.

HOc caput in diſco priſci propè limina Iani,
Nunquid Ioannes, an mage Ianus erit?
Iane, duas facies habuiſti, vt plura videres,
Turpia ne videat, non habet iſte caput.

D.Elig. VBi nunc memoria D. Eligij, Templum fuerat D. Iacobi, & Martini. Ingenioſus olim artifex D.Eligius ſigillum tenet, quo ſepulchrum Domini obſignauit Pilatus, & illo credidit ſigna, quæ Chriſtus fecerat comprimere, & promiſſæ Reſurrectionis verba ſugillare.

119 DE SIGILLO SEPVLCHRI.

NE Ionæ rata ſigna dares, o Chriſte, Pilatus
Oppoſuit ſignis iſta ſigilla tuis.

Domus Petri Leonis BArbarorum armis ciuilia ſucceſſerant, & inteſtinis ſuorũ Principum diſcordijs Romę caput conterebatur, quando Petrus Leonis ſenior potentiſſimus ciuis, hac ſua æde, vt aſylo fortiſſimo Pontifices recepit, & acerrimè tutatus eſt.

120 DOMVI PETRI LEONIS.

HAec tua, Petre Leo, duplici munita Leone,
Tuta bonis patuit ſemper aperta domus.
Fidus Pontifici Petrus, Leo Petre, fuiſti;
Hoſtibus infenſo cognitus vngue Leo.

TEr tonuit ſine nube Deus, tria fulmina miſit; & ecce leui ſcutum verſatum leniter aura, antè fores Regis Numæ decidit Imperij pignus ſine fine dati. Sed altiùs ad Chriſti fidelium animos incuſſa Religio deſcendit; dum in Porticu Octauiæ, hoc eodem fortè in loco, vbi priùs Regia Numæ ſteterat, ſuis oculis iterum vidit Roma, Cœli templa dehiſcere, & Iconem B. V. parui Ancilis formam referentem, in Aedes Gallæ Patritiæ deferri. Num. Reg.

121 S. MARIAE IN PORTICV.

PAruula pars Cœli, mirum! delapſa per auras
Margine cæruleo Virginis ora refert.
Hoc veluti clypeo Palatia firma teguntur
Protrahiturq; datum longiùs Imperium:
Dumq; profana ſilet demiſſum ancile vetuſtas,
Hæc Ancilla Dei plus ſine fine dedit.

AEdes S. Andreæ in Vincijs, Iunonis Matutæ olim fuiſſe dicitur, iuxta forum Olitorium: Et conuenit Alba Dea viro, & annorum canitie, & morum primo noſtræ fidei candidato. Vſq; adeò Luci inhæſerat D. Andreas, vt ſuam crucem perlaturus in Cruce, non per ſolitas Mortis tenebras, ſed per oborta lumina, quaſi aurora è luce in lucem euaderet clariorem. Matutæ Templ.

122 S. ANDREAE IN VINCIIS.

FOrtunate Senex, cui primùm clara refulſit
Ad Mare de Chriſti luce reflexa fides:

Iurè tibi cedat, roſeis quæ vecta quadrigis
E matutino prouehit axe diem.
Præuia tu fidei lampas; lux cœlitus orta,
Te præeunte venit, te pereunte redit.

Colum. lact.

PEnes hunc locum ad Columnam Lactariam nuper editi Infantes ferebantur. Efficaciùs Populo perſuadebatur, Lupam labris conditorum vrbis vbera immulſiſſe; dum quotidiè ſuis Infantibus lac è marmorea columna diſtillare depręhendebat.

123 COLVMNAE LACTARIAE.

R*Omulidæ duri, duris altricibus alti,*
Vos Lupa, vos durum marmoris vber alit.

Colum Bellica.

COlumna vero ante Templum Bellonæ ſita, iaciebat telum contrà gentes, quibus bellum indicebat. Delaſſata demum tot triumphis Romana potentia indignabatur in hoſtiles agros excurrere, vt illùc haſtam proijceret, vnde ſpolium eſſet relatura. Dij meliùs, ſiquidem fortuna hoſtiente contrà ſenſit omnes illas haſtas in ſuum ſinum recidiſſe.

124 COLVMNIS BELLICAE, ET LACTARIAE.

D*Eſtinat illa necem populis: lac iſta puellis:*
Hæc reficit pueros; conficit illa viros.

Bi-

BIfrons ille Ianus,ex quo calidarum gurges aquarum in Sabinos erupit,extra portam Carmentalem circa hæc loca fuerat. Porta verò Carmentalis ob vicinum Carmentæ Sacellum, eademque Scelerata dicta ob Fabios ad Cremeram occisos steterat, vbi D. Catharinæ antiqua ædes diù locum indicauit. Porta Carment.

125 CARMENTAE SACELLO.

CArmentæ sacrum, scelerataq; limina Portæ,
Numine pro veteri Regia Virgo sacrat.
Illa rudem docuit numeroso carmine turbam;
Ista trecentenos instruit ore senes.
Transmittit Procerùm primos Catharina saluti;
Tercentum Fabios prodidit illa neci.

INdicabat celeberrimum Apollinis templum extra portam Carmentalem memoria Diuæ Mariȩ sub Capitolio dictæ proxima Turri Speculorum; sed nuper defecit, cuius vices abundè supplent tot aliæ eidem Magnæ Matri sacræ, sicut illa, quæ Cõsolationis, ista, quæ Solis nomine decoratur. Tẽp. Apol.

126 S. MARIAE DE SOLE.

SOl es, Virgo, paris Solem, stas Solis in Aede;
Solibus è tantis nos super vmbra cadat.

HOspes, ne antiqua solùm suspicias; non enim tam effœta rerum natura est, vt nihil iam nobile pariat: habent quælibet secula suos Viros, quos Iesus.

prio-

prioribus conferant. En duo Ignatij; alter, cuius caput hìc colitur, Antiochenus Paſtor; alter huius domus, in qua requieſcit, fundator. Ille Deifer nomen IESV viuis caracteribus exſcriptum corde geſſit: Iſte electum vas nomen IESV coram Regibus, & gentibus portauit.

127 DD. IGNATIIS.

Frumentum Chriſti duplex Ignatius: iſte
Sub linguis hominum, ſub dentibus ille leonum.

SS. Ignatij An putas minùs pati, quos expetit Satan, vt cribret ſicut triticum, quàm quos molunt ora leonum? Itaq; inſigni coniunctione hoc templũ Nomini IESV ſacrum cuſtodit Martyrum, & Confeſſorum reliquias: en Abundus, & Abundantius ferro conſumpti: en Ludouicus Rex, & Xauerius, viarum calamitatibus confecti.

128 SS. ABVNDO, ET ABVNDATIO MM.

Ecquis abundantes meritis, & ſanguine Diuos
Non colat? hoc Cœlũ quidquid abundat, amat.

S. Ludou. Magnus terrarum, & Marium emenſor Xauerius, extrà anni, ſoliſq; vias proceſſit, vt nouos Orbes Chriſto ſubderet: Magnus Rex Ludouicus bis exercitum in Syriam duxit, vt Chriſti lumen in Orientem ſpargeret. Habeat Roma ſuos Curſores, & Papirios, quos venientibus opponat Alexandris: habeat Mundus ſuos Hercules, & Libe-

beros. Illi quidquid mortalitas; hi verò quidquid immortalitas capere poteſt, impleuere.

129 D. XAVERIO.

CVr pedibus proprijs Romanum ſubdidit Orbem?
Vult noua Romano ſubdere Regna Petro.

BRachia Sanctorum Colmani, & Lazari colimus. Colmanus Herodiadem in Franconia reperit, quam dum argueret, in propria domo iugulatus, & ſepultus eſt. Lazarus cum lacrymis ad Epiſcopatum Maſſiliæ euehitur. Sed quò me rapis Lazare quatriduane? Non ne Stanislaus (cui non hinc longè à Polonis memoria ſtatuitur) ſepultum teſtem poſt triennium protulit, vt innocentiam ſuã coram Rege teſtaretur. S. Stanisl.

130 S. STANISLAO EPIS. ET M.

PRò mirum! poſt mille dies à morte ſepultum,
Stanislae vocas, qui tua facta probet.
Iudicij veniſſe diem miſer ille putabat,
Vtq; Reus tremuit, nec niſi Teſtis erat.

SEd iam iter dirigimus ad nouum Templũ, quod D. Ignatio, non hinc longè conſtruit Ludouiſius, vt aras illi admoueat, quem Patruus Pontifex aris admouit. Inuenti in fundamentis Aquæductus arcuati operis marmorei, cum tubulis plumbeis, Pantheon verſus excurrentibus pro Baſilica Matidiæ: inuenta habitatio Narciſſi, cui Claudius S. Ignat.

om-

omnia indulsit : inuentus sine capite Colossus Mineruæ, cui Parens Iuppiter sapientiam impressit.

131 TEMPLO D. IGNATII.

ARbiter Hispanus Mundi, quem gloria Diuùm
Vexit ad ignotos præpete laude polos.
Hinc sibi constructo supplantat Pallada templo,
Atq; sua truncam comprimit Aede Deam.
Esse Iouis cerebro gênitam quid Palladi prodest?
Perdit ab Hispano visa Minerua caput.

Obeliscus. EN paruus Obeliscus merum viæ impedimentū, ni hieroglyphicis antiquatis D. Macuti nomen, & Aedem exprimeret. Fertur Macuto tenera ætate ad littus expatianti Maris ęstus pepercisse; fertur diuino spiritu bis è Britannia delatus in Frāciam; fertur septenni nauigatione fortunatas Insulas lustrasse, & si credere velis, impenetrabiles Paradisi hortos penetrasse, cùm bonam mentem secum ferret veracem Paradisum.

132 OBELISCO PARVO.

VAles nec obolum Obelisce, nisi doceas iter.
Ceu literosus Pedagogus ad Scholas.

Arcus Camil. IN extremo recurrentis huius Viæ angulo, contra Ecclesiam S. Marthæ sunt reliquiæ Arcus triumphalis, qui populari voce in nomen Camilli concesserat, cùm fortè potius fuisset Tyberij. Perdi-

didit videlicet hîc ſuum nomen ille Cæſar, qui regnans Deum excepit patibulo, & recipit illa Virgo, quæ viuens eundem excepit hoſpitio.

133 DE ARCV CAMILLI.

ARcus adoptarat ſibi nomina priſca Camilli,
Ne ſtaret caſſum nomine pondus iners.
Iſta ne ſunt noſtris monumenta erecta triumphis,
Protinus vt pereant, ſi monitore carent?
Quantus eras, Romane Parens! aliena trophæa,
In tua marmoreo pergere viſa pede.

MArmoreum ſignum Cereris, & inuenta Semihominis ſtatua nomen dedere Stephano. Non abhorruit Hercules nomen Alexicaci, neque Marcellos, & Scipiones puduit, ſpoliatis Regionibus barbaris, eorum vocabula rapere in triumphū. An ergo ingeſtorum ſtrue lapidum coronatus Stephanus auerſetur monſtri nomen, quod inter Auētina ſaxa dignus labor Hercule claudebatur? **Ceres, & Cacus.**

134 D. STEPHANO.

ALma Ceres ceſſit Stephano, cui dulcia ſaxa,
Cui lapidoſa ſeges dulcis, vt alma Ceres.

POmpeius Oriente perdomito honores Vrbi tribuit, & in Delubro Mineruæ Imperium depoſuit; hoc ſupra delubrum inſigne ſtatuitur Templū Virgini Annuntiatæ. Anterior facies ſua humilitate iudicat de altitudine inundationum Tyberis, & in- **Mineruа.**

incisas notas retinet, qua vsq; mensura Cœlo gratissimus amnis, Cœlo fruitur propinquiore; nam quoties Vrbs Veneris mergitur, toties Minerua fronte hilari trophæa numerat luctuosa.

135 S. MARIAE SVPRA MINERVAM.

CEde Mineruæ locū; minùs est turgente Tonātis
E cerebro gigni, quàm genuisse Deum.

Cath. Sen. COrpus D. Catharinæ Senensis, Christi cor, & delitię, ingens anima huic capacissimo Templo inditur. Hæc illa est, quæ Romanam sedem diu Auenione quasi exulantem in Italiam reduxit, quæ sacrorum Antistites rem Christianam mutuis odijs collidentes stabili pace composuit, quæ debitas Romanis sceleribus pœnas, in paucorum atrocitatem dierum compositas, sui compendio corpusculi pertulit.

136 D. CATHARINAE SENENSI.

CLaudit Senensem Catharinam Altare Rosarij.
Vixerat in spinis, nunc tumulata rosis.

S. Clara. NEc procul hinc eius viuentis Aedem in Templum conuersam Roma custodit: nec inuidet tantis Tusciæ splendoribus Vmbria, quæ parem Cęli lucem exciuit præclarissimam Virginem Claram. Nostro generi conuitium facerent fœminæ, ni suarum virtutum parentes agnoscerent; hæc Franciscum, illa Dominicum: vterq; labantis Ec-

clesiæ columna : vtraq; labentis pudicitiæ ſtabilimentum.

137 D. CLARAE.

QVis neſcit primis Italos deſcendere ab Vmbris?
Sed vetus illuſtrat Clarior Vmbra genus.

QVadraginta Martyres Sebaſte cruda hyeme in ſtagnum demerſi, in gelu fluxili perpetua ſuę conſtantiæ monumenta incidère. Defuerat eorum numero vnus puſilli animi rigore tremens, & ad balneum tepidioris aquæ transfugerat, quo tepore citò reſolutus ſubmerſit ſalutem ſuam: vnde Ianitor vacantem ſpeculatus locum, ſortem transfugæ occupauit. SS. Quadr.

138 DE SS. QVADRAGINTA MM.

EXplebo numerum Cuſtos vigil; o ego lætus
Pullulet è medio ſi mihi palma gelu.

QVis te, Franciſce, non adoret, viuam Chriſti Crucem? ſi noſtra ſalus pendet è ſigno Crucis, è vulneribus Saluatoris; quota Mortalium pars non peruenit ad Chriſtum per tua Stigmata? Quòd ſi Chriſtus inter Deum, & Hominem ſe medium dedit; non minùs inter lapſam mortalitatem, & Chriſtum Deum te, bone Caduceator, interponis. Stigm.

STI-

139 STIGMATA D. FRANCISCI.

EDitus exemplum Mundo ſua vulnera texit
Franciſcus, quæ nunc Mundus aperta colit.
Calcauit Soccis titulos quot Mundus adorat,
Quotue cothurnatos eleuat Aula gradus.
Mollijt attactu rupes, non horruit antrum
Vile, nec àeria pauit in alpe gelu.
Vinceret vt ſe ſe, vinxit ſe fune, labantem
Suſtinuit Chriſti firma columna domum.
Vulnera Franciſci ſpecta; nil fortiùs illo,
Fingere nil pariter molliùs audet amor.

Ther. Agr. APertæ fornicum concamerationes è via conſpicuæ, ſunt Thermarum Agrippæ. Lateritiam Vrbem Auguſtus marmoream ſucceſſori reliquit, ſuaſitq; opulentos Ciues excitare Theatra, extendere Circos, ornare Plateas, & immanium tranſuectione marmorum malè ſecuras veteres domos excuti, nouaſque inſtrui pulchriores. Iuſſit Agrippam generum ruſticitati, quàm delitijs propiorem fontes in Vrbem inuehere, & has ſui nominis Thermas extruere. Mulcebat his cadentibus aquis ceruicoſum Populum, & ad iugum blandiſſimè accommodabat.

140 THERMIS AGRIPPAE.

VIna repoſcebat plebes, Cæſarq; iubebat
Fontibus Agrippam multiplicare lacus.

Sub-

Subdolus has molles reclusit in ocia Thermas,
Vt libertatis perderet illa sitim.
Quæ daret Augustus sitienti Massica Romæ,
Si tantùm calidis ebria vixit aquis?

NOn benè bono Euentui eueniat, qui suã post Pantheon videt excussam domum. Meliori sorte domus, & sepulchrum Romani Militis Placidi ostenditur. Christiana secula antiquo Regi patientissimo eò audaciùs componunt Eustachium, quò remulsit Deus expertam prisci Regis patientiã largiori manu priorem fortunam restituendo: Sed Vxorem, filios, gradusq; pristinos Eustachio non reddidit, nisi vt maior victima maiori strage concideret: Quandoquidem intrusi omnes in vterum mugientis metalli, inter flammas violentiùs quàm Troiano Equo, Cœlum expugnarunt Aeneo Boue. Eustach.

141 S. EVSTACHIO.

QVi transis, dicas saltem: saluete receptæ
Cœlo animæ, & cineres Martyris Eustachij.
Et Pater, & Nati, & Coniux, domus integra Christo
Dedita, pro Christo par quoq; funus obit.
Viderat Eustachius Ceruum, quantosq; timores,
Quantas parturijt bellua blanda feras?
Præda datus sorti, datus esca Leonibus, igni
Clausit in accenso seq; suosq; Boue.
Non meliora Deo potuere holocausta litari,
Viscera quàm talis sæpe probata bouis.

Pantheon. ROtundum S. Mariæ ad Martyres Templum
primo aſpectu opus ſe Romanum prodit à
M. Agrippa Ioui Vltori, ſeu Veneri, & Marti, aut
Cybeli ſacrum. En Templum donis opulentum,
ærea cui gradibus ſurgebant limina,nexæq; ęre tra-
bes. Hem Hoſpes, tot gradibus deſcendimus, quot
olim aſcendebamus,nec tamẽ nos pudet faſtoſos ſu-
per aggeratas veterum ruinas, & ſpolia, quaſi ſuper
antiquorum capita grallatis pedibus altè obambu-
lare.

142 PANTHEO AGRIPPAE.

NOn Gothus,Oſtrogothus, nõ Vandalus,Hunnus,
Quiuit adoratũ præcipitare tholũ: (Alanus,
Vel patrios habitare lares hac ſenſit in Aede,
Et ſoluit proprio vota, preceſq; Deo;
Vel cauit ſibi quiſq; timens, temploq; pepercit,
Cui princeps Dominus Iuppiter vltor erat.

S. M. ad Martyr. BOnifacius IV. hùc oſſibus adductis Martyrum
Deo,& Virgini conſecrauit. Præſagam men-
tem tibi bonus genius indidit, o Agrippa, vt colu-
mnas tam grandes, tam graues æneas portas fir-
mamentum pulcherrimæ fabricę,& poſteris exem-
plar Architecturæ collocaueris; nam Prædones,
qui Conſtantio II. imperante argenteas ſtatuas, &
pretioſa ornamenta aliò tranſtulerunt, aſportaſſent
& reliqua, ni ponderis enormitate deterriti ſubſti-
tiſſent.

S. MA-

143 S. MARIAE ROTVNDAE.

AEmula Cœlorum, Cœlos imitata Rotundo
Culmine cœlicolis omnibus apta domus.
Integra perſtat adhuc è centum millibus vna,
Sola ruinoſa non ſuperata manu.
Placatus ſauet ergo Deus; dum clauderet omnes,
Contigit, vt verum clauſerit illa Deum.

ROmanorum Alexander, & Nero, optimus, & peſſimus Imperatorum contiguas Thermas habuere. De Neronis Thermis illud percrebuit, Quid Nerone peius? Quid Thermis melius Neronianis? vt ſciamus bonorum, malorumq; prouentu res humanas penſari. In his Thermis templum olim Pietatis, nunc Saluatoris frequentatur; vt agnoſcamus, nil tam ſordidum, quod cæleſtis aura non expiet, nil tam profanum, quod diuina pietas non expurget. Thermę Neron.

144 DE SALVATORE IN THERMIS NERONIANIS.

QVid melius Thermis iſtis, peiuſq; Nerone?
Hic pietas culta eſt; impius ille fuit.
Et nos Saluator, calido qui ſanguine lauit
Si pius eſt nobis, an pius ille ſibi?
Maior an impietas, quàm mors crudelis IESV?
Maior an eſt pietas, quàm redimentis opus?

Therm. Alex. THermas ſui nominis Bibliothecam , & nemus deſtructis ædibus proprijs Seuerus inſtruxit. Suſceperat Alexandri nomen in templo Macedonis, ibi natus eo die , quo Anniuerſaria Mortis Alexandri ſolennia celebrabantur. Diceres transfuſum Macedonis ſpiritum in pectus Romani Imperatoris, quo pari ætate , nec diſpari felicitate Orientem inuaſit, Perſas profligauit ; ni hoc ipſo maior eſſet, quò Magni nomen recuſauit oblatum, cum alter ſe hominibus impatienter eximeret , & ſe Dijs impotenter exæquaret.

145 THERMIS ALEXANDRI.

RArus Alexander tetro comes eſſe Neroni
Suſtinet in Thermis, abſtinet in reliquis.

S.Lud. TV verò pie Galliarum Rex, Ludouice, quidquid Alexãdris defuit, magnitudine vera ſuppleſti, dum primos ingreſſus annos, Regnum ab innocentia exorſus innocentiſſimè rexeras, donec grãdior virtus te cum Exercitu in Syriam tranſtulit, vbi patientiam, & pietatem veriùs, quàm Victorias exerceres ; vnde tua te Regna redeuntem ſuſpicerent, ſpineam Chriſti coronam ſpecioſiùs, quàm triumphalem lauream reportaſſe.

146 S. LVDOVICO IN THERMIS ALEX.

SYrus Alexander, Romano marte Seuerus,
Te vocat in Thermas, Rex Ludouice, ſuas.

Tu Syrias Franco bis concutis agmine terras,
Bis licet è Syria ſors tua ſigna fuget.
Quæ tamen intrepidi cordis documenta dediſti!
Quanta virent meritis lilia Franca tuis!
Quas peperit Patriæ tua vis inuicta coronas!
Per te ſollicitum Regia numen habet.
Felices Reges, felicia germina Regum,
Vos fœcunda colunt aſtra, Deùmq; manus;
Ad vos certatim conſpirant Dijq; Deæq;
Vnica ſi deſit, parcite, cæca Dea eſt.

VEniet tamen ætas, cùm plenis Armandi ſpiritu velis reuocata Fortuna videatur, iuſtis alterius Ludouici votis cumulatè obſequi, feliciſſimè velificari. En Sapientiæ ſedes, & officina, vbi olim Nemus Thermarum Alexandri. In his Scholis lectiones perorantur, debacchantum ſæpe cum ſtrepitu (libertatem Scholaſtici vocãt) In his Aedibus, quaſi Palladis in Sacrario inſuſurratis paucis verbis Doctores creamur. Hinc laureata capita, annulatos digitos, & bracteatas literas in ſpeciem eius honoris circumferimus, quem ſola bonarum Artium opera antiquis conciliabant.

Card. Rechel.

Nemus Alex.

147 GYMNASIO.

NAſcitur hìc Laurus facilis, ſequiturq; volentes,
Aut dolet, aut noſtras ridet Apollo vices.

Leo I. COlitur hìc Tudertinus Pręſul Fortunatus, Magnum Domus Stygiæ infortunium, & Leo I. non vltima Romani ſoli fortuna. Hic eſt rugiens ille Leo, qui pectus ſuum furentibus armis Attilæ oppoſuit, confiſus truculentum hoſtem ab Italia depellere illa manu, quam ſibi oſculo muliebri contactam abſciderat, & à Deipara ſenſit reſtitutam; Perinde ac ſi fatale eſſet Romanorum ceruicibus imminentes Reges, & flagella Dei non poſſe, niſi ſectis, vel exuſtis manibus amoueri.

148 LEONI I.

MAgne Leo dextram gladio tibi fortiter aufers,
Qua mox armatos pellis ab Italia.
Reſtituit tibi Virgo manum: manus ergo Tyrannos
Pellere ab his Terris integra nulla poteſt.
Quam vires hominum nequeunt remouere, vel arma
Ipſe foras Hunnum fortiter vnus agis.

Hiſp. GEneroſa Hiſpanorum natio ſuo tutelari Iacobo Templum erexit. Hic Apoſtolorum primus in Vrbe ſacra fudit ſanguinem, vt qui Chriſti conſanguineus erat, nouo etiam hoc effuſi ſanguinis titulo Chriſtum tangeret. Hic prior calicem mortis potuit bibere, cum fratri calix veneni Romę ſupereſſet tantummodò deguſtandus: hic occiſus in medio terræ, in qua Deus operatus eſt ſalutem, vt in fines Orbis Terræ pergeret cum triumpho. Fruſtrà igitur officioſa nimis mater regiam ſuis filijs dextram, ſiniſtramq; petierat, quorum alteri iã an-

antè designauerat bonus Rex medium sui pectoris, in quo recumberet, alteri terræ medium, & fines, in quibus regnaret.

149 D. IACOBO.

Mortuus in medio Terræ; sed in vltima terræ
Transferri Corpus vis, Iacobe, tuum.
Dum tamen vlteriùs profert Hispania Regnum,
Fit Mundi limen, qui modò limes erat.
Ergo tenes medium: tam vasta potentia Regis,
Cui vehit æternum Sol sine nocte diem.
Sol vadat quàcunq; tremit tua sceptra, nec vnquam
Occidit è Regno, magne Philippe, tuo.
Quin Pater ipse Deùm, si tecum diuidat Orbem,
Plurima quæ linquas, pauca lucreris habes.

PRęsens Emporium P.R. Vallis, & area erat Circi Agonalis Alexandri. Ad huius fornices producta B. Agnes, & Iuuenum cupidinibus exposita exiuit illibato flore pudicitiæ, neq; laus ista nostro defuit Alexandro, quin Virgines intactas è suo Circo quasi è sinu dimitteret. Circus Seueri.

150 CIRCO AGONALI.

Circus Agonalis nos nutrit, vitaq; victum
Inuenit in Circo, victus Agone venit.

QVanta diuinitatis testimonia sub his fornicibus diuina potentia produxit! Nudam Virginem prolatis ad terram crinibus velauit, demissa S. Agnes.

è cęlo Stola veſtiuit, procaces Iuuenes mutauit in caſtos, perditum Virginis Amantem morte percuſſit; mox reuocauit ad vitam. Tot miracula huius Puellæ intuitu peregit ſub fornice propudioſo, quot non egit in Templo.

151 S. AGNETI AD FORNICES CIRCI.

Roma triumphales ſibi iactabunda per Arcus
Plaudat, & in pompas Regna ſubacta canat;
Maiores ſtatuit Virgo generoſa triumphos
Inſuperabilibus prodigioſa modis.
Virgineis precibus veſana expugnat Amantum
Pectora, quæ Domino reddit amica ſuo.
Ad ſe oculos, animoſq; magis, quam Circus, Agonq;
Sola ſub exiguo fornice Virgo rapit.

Paſq. QVid ridetis Gladiatorem ſine pedibus, & brachijs, truncaſq; inhoneſto vulnere nares? Naſutus ſum vſq; licet, & plus quàm Democriteis cachinnis Mortalium res cunctas dum examino, inuenio in pleriſq; turpitudinem. Quis improuiſum imperat ſilentium? Muſſo, non loquor; præſcindunt linguam, conſuunt buccas, ſtrangulant verba, notant nutus; auferrent & riſum, ſi tàm eſſet in poteſtate mea non ridere, quàm loqui.

152 PASQVILLVS.

ILle ego Paſquillus, fama notiſſimus Orbi,
Sto lacer, & laceris Vatibus exitium;

Et

Et quamuis videar formam variando quotannis
Ridiculum Pueris, & sine mente Caput,
Officium Censoris ago, morumq; Magister
Credor inurbanis ritibus excidium;
O curuæ in terris animæ; quid nostra pauetis
Vulnera, si tantùm noxia lingua mihi est?
Quid valeo vlterius? saltem si Roma reuulsit
Brachia, ne pugnem; crura det, vt fugiam.

QVod Mari est littus, id Valli est palus. Itaq; paludem Capream mihi Vallis nomen indicat in hoc depresso Campi Martij angulo, quò siue erumpentes aquę fluminis, seu pluuiæ excurrebāt, tutum in medio locum præstitere ab vrbis strepitu seiunctum. Hùc malo suo fato traductus Romulus ad templum Martis, vt Senatum haberet, ab accinctis gladio Patribus nemine patrocinante in frusta cōscinditur. Occisus Remus, quia mœnia potuit transcendere: occisus Romulus, quia circumfusam Paludem nequijt pertransire. **Palus Caprea.**

153 DE CAPREA PALVDE.

HEù quò crudelem pepulerunt fata Quirinum,
Et furiæ, & stimulis concita pœna suis.
Ecquis suppetias ferret? fera Curia Patrum
Cinxerat ense latus, clauserat amne Palus.
An rate sollicitam trepidus properaret ad Vrbem?
Quomodo? si carum perdidit ante Remum?

DIuus Philippus Nerius mollem ad Cęlos viam aperuit, & nouus Amphion multos musicè **Phil. Ner.**

con-

congregauit, ſic Deo ſuauiter diſponente, vt pronos in terram mortalium animos, ſermonum & cātus dulcedine erigeret. Quod ſi Adæ ablata coſta Euam condidit, & Chriſti apertum latus produxit Eccleſiam; plures Philippo coſtæ diuini amoris impetu apertæ ſunt, vt nouum hominem Deo reformaret, & è ſinu ſuo nouam proferret Eccleſiam.

154 S. MARIAE IN VALLICELLA.

CAprea fortè Palus hæc eſt, vbi Nerius Aedes,
Et mores veteri ſanxit in Vrbe nouos.
Hinc Cœlum petijt nouus iſte reconditor Vrbis,
Iuerat in Cœlos Romulus vnde ſuos.
Diſpare ſed Cœlo cælatur vterq; ſuorum
Integer hic manibus, veſtibus ille lacer.

SS. Papias, & Mau. PApias, & Maurus ſuo militari ingenio obſtupuerunt ad verba Martyrum ſtatuas Iouis liqueſcere, & qui priùs Iouem in imbres aureos diſſolutum adorauerant, vbi verbis hominum viderūt in puluerem redigi, tales eſſe Deos credere deſierūt. Potuit quidem ſeuerus Præſes eorum ora lapidibus comminuere, corpora plumbo comprimere, ſed non obtinuit, quin ipſorum linguæ eò acriùs Deos deteſtarentur, quò maiori ponderis mole vrgebantur.

155 SS. PAPIAS, ET MAVRVS MM.

NObis terra leuis, leue plumbum, ſaxa, metallū;
Vana quidem nullum numina pondus habent.

Mōs Iord. AEdes SS. Simonis, & Iudæ in Monte Iordano egregiam partem capitis S. Vrſulæ cuſtodit.

Non

Non vnius Virginis hoc caput credas,quod tot millium caput fuit;neq; Vrſinum nomen ferinum cenſeas, quod inter roſas, & lilia adoleſcit.

156 D. VRSVLAE.

PEr Mare virgineam dum dirigis Vrſula claſſem,
Tutior haud alio quæritur Vrſa polo.

SEd iam Hoſpitis recordor mei, qui penès Tyberis ripam me humaniter Vrſo indice vocat. Iure ſuo de nobis conqueratur, ſi celebre hoſpitium relinquamus inſalutatum,quippe iſtud mea mihi eſt Villa publica, licet illa vetuſtior templo Bellonæ,& Capitolio vicinior reputetur, & ab alijs traducatur ad Montem Iordanum. **Villa Pub.**

157 VILLAE PVBLICAE.

PVblica legatos quæ Villa receperat hoſtes,
Quis ſcit an Hoſpitij ſit locus iſte mei?
Græcus, Iberus, Arabs, Hebræus,& Anglus,& Indus
Romulea proprios quærit in Vrbe lares.
Solus ego ſubeo prope flumen in Hoſpitis ædem,
Vrſus adumbratas cui manet ante fores,
Quid queror infælix? fruor hic quaſi ſorte Quirini.
Si Lupa non paſcit me, rudis Vrſus alit.

HInc reſonat Apollinis nomen, & cantus:veteri nõ repugno famæ,quin abierit in D.Apollinaris nomen, vetus aliquod Apollinis monumentum. Non ne præter celebre illud Templum extra **Apol.**

por-

portam Carmentalem in hac eadem regione ade-rant Apollinis Delubrum, Aedes, Colossus, & Statuæ ? Et par erat, vt Ciuitas non vnius triumphi, nec vnius videretur Apollinis.

158 APOLLINI.

QVos amat Apollo carmen, & cantus docet,
Lauri corollis docta donat tempora,
Flores amatos vsq; scalpit literis;
Quos amat Apollo, literatos efficit.

S. Appollinari. ET quis neget Apollinarem Apollini comparandum, cuius si lucem respicis, illam è sinu Petri exortam vides, si vias metiris, eundem spectas per Maria, & Terras, quasi per Zodiacum in plura animalia, quàm homines incurrisse, si lustras occasum, intueris rubefactum sanguine penès Adriana littora serenum diem clausisse.

159 D. APOLLINARI.

PVrpureus Martyr ducens ab Apolline nomen
Emicat in sedes pulcher Apollo tuas.
Martyribus socijs Martyr comitatus Orestes,
Venit ab Armenia victor Iacche tua.
Venit Hyperborea pubes nutrita sub Arcto,
Prompta hederis lauros implicuisse comis.
Natio quippe gelu victricibus ardet in armis;
Mulcet Apollineos nec minus apta choros.

IN hoc Apolline ſuos Germania Alumnos in ſpem magnam enutritos excipit, & Armenia non fabuloſas Bacchi victorias, aut Grȩciæ Pentatlos admirata, quinq; ſuos Pancratiaſtes hùc miſit; è quorum numero non obliuiſcar Oreſtis: ille enim eſt, qui dum ſaltu, & pali iactu ſe exerceret, erumpente ab armorum cōmiſſuris paruæ Crucis ſigno, Chriſtianus agnitus fortiter fecit. Prò quam altè ſaltus ille peruenit; Cœlum ſimul attigit, & retulit præmium. Col.Ger.

160 S. ORESTI.

NOn malè decertat iaculis agitatus Oreſtes,
Præmia qui telo percutit alta ſuo.

IN ſublimi Sacello Palatij Altempſij cuſtodiuntur oſſa Aniceti P. qui Romanum gregem dum nutriret, prodigiales religionis cometas execratus, vetuit comam, barbamq; nutriri, & prouidit, vt ſummis crinibus abraſis, rotundæ ſpherulæ Clericorum capitibus inſiderent. Quòd ſi Aegyptus ſuorum myſtarum manibus ſoles deficientes indidit, inuictus Pontifex noſtrorum verticibus cæleſtes orbes innixos deſignauit. Altempſ.

161 S. ANICETO P.

CElſa ſapis, celſumq; tenes, Anicete, ſepulchrum,
Quippe caput Cleri detonſo vertice ſummo,
Atq; tuum ſecta demum ceruice coronas.

Pro

S.Aug. PRo Ecclesia D. Augustini stat D. Monicha: Duæ Matres Augustinum Cœlo peperere, Monicha lacrymis, Ecclesia Baptismate: illũ Africana Parens in patriam gestit traducere, & Romana Ecclesia secum in Italia remanere; Sed vincit vtraq; dum Tyrrheni maris obiectu Monicha redit Romam,& Augustinus à Longobardo Rege transfertur in Italiam. Neutra Mater ritè agnosci poterat sine filio, & ægrè verus filius, tanta maris intercapedine disiunctis Matribus,reputari.

162 DD. AVGVSTINO, ET MONICAE.

MAter agit lacrymis,& Natus acumine mentis.
Hæc lauat Aethiopem, sed bibit ille mare.
Albet Maurus aquis, sed plus sitit ipse bibendo,
Plus Matris lacrymæ, quàm Maris vnda potest.

S.Tryph. PAscebat in Phrygia iuuenis Tryphon Anseres, cũ in regiam euocatus Virginem à malis genijs expiat, cumulatur donis,ad suas paludes remittitur; mox ab alio Imperatore Christianus agnoscitur, exuritur facibus, ferro percutitur; cuius cruciatibus indolens Respicius, & respiciens Nympha Vestalis, ante Iouis aras pro Christo obtruncantur. Mirum erat si Phrygij pastoris tragędia sine ferro, & lacrymis, sine cædibus innocentium peragere-tur.

163 S. TRYPHONI M.

PAscebat albos Anseres,
Fugabat atros Dæmones,
Vitæ profudit purpuram.
Sic triplici proscenio,
Et morte clarus triplici
Tryphon recepit, Plaudite.

QVanta se nobis offerunt in his olim extra muralibus vijs! D. Iacobus incuratos,& Xiphilidem curat, Rocchus pesti medetur, Athanasius Græcos erudit ad fidem,Hieronymus suos Dalmatas mollit literis, Germanos fontibus sapientiæ potat Apollinaris, Scotis lucem dare vellet Andræas, & miraculorum miraculum Antonius suos Lusitanos animat ad nouos Orbes Christo vendicandos, & firmiter retinendos. Quanta hæc sunt,quot Prouinciarum decora,quot tutelę, quot virtutũ semina, digna quæ Martis in feraci campo recondantur. Camp. Mart.

164 CAMPO MARTIO.

QVod spatiũ tectis noua Roma frequentibus vrget,
Martius antiquo tempore Campus erat.
Sollicitos tenuere Deos discrimina Romæ;
Sola tamen Martis cura paterna fuit;
Mars, genus antiquum dilectæ præstitit Vrbi,
Quam potuit contra fata, Deosq; fidem.
Omnia cum veteri Roma Romana perissent,
At Pater in Campum transtulit illa suum.

Quis

S. Ambr. QVis tuas reliquias Romæ desideret D. Ambrosi? Non ne quot verba sparsisti, tot miracula mundus adorat? In tuo ore nidificarunt apes, tibi mel instillaturæ, & aculeo transfixuræ contumaciam Imperatoris: & tu D. Carole, quàm Cor S. Caroli. appositè tuum Cor Romam misisti, ne obliqua Aulæ censura te putasset excordem, quando notauit opulentas animarum prefecturas insueta magnanimitate in manus Pontificis resignantem.

165 D. CAROLO.

NOs stulti propter Christum: cordatus, an excors,
Carole, sis video, dum cor adoro tuum.

Septa. ANtiqua Septa, in quibus venalia non minùs tribuum vota, quàm merces exponerentur, collocant aliqui ad Aedem D. Andreæ inter sepes: multi Septorum vestigia in parthenone D. Siluestri agnoscunt; alij ad forum Columnæ trahunt: tu Hospes tuis coniecturis obfirmatus arbiter esto.

166 D. ANDREAE INTER SEPES.

ANdreas inter sepes: his vinea Christi
Clauditur infensis inuidiosa feris.
Sepibus hærentem veneror: quid Achaia Diuo
E Cruce pendenti spinea texta negas?
Discipulo deerunt Crucifixi signa Magistri,
Nec cinget canam par diadema comam?
Roma coronarum contextrix sedula Sepes
Obtulit, ac tantum suscipit Vrbe caput.

Effe-

EFferatos fratrum animos è veteris Ciſternæ fũdo parum flexit antiqui Ioſeph innocentia, noſtros verò ad ſe non rapiat vepribus incluſum nomẽ innocentiſſimi Ioſeph Deiparę Sponſi? Et quæ ſpinæ cor huius pupugere, quando cogitabat dimittere Virginem impar ſplendoribus ab vtero turgente profluentibus? quando indoluit Dei filio flenti in Præſepe, per Aegyptum profugo, in Templum refugo? Succeſſere ſpinis roſæ, & ab vna radice Ioſeph gloria refloruit Nazareni. S. Ioſeph.

167 D. IOSEPH.

QVis te, Sancte Faber, Mariæ digniſſime coniux,
Diue Senex, Chriſti non putet eſſe Patrem?
Hæredem ſe ſponte tuum Deus ipſe profeſſus
Nil præter clauos, ligna, Crucemq; tenet.

QVid priùs hic mirer, an faciem Saluatoris? an Caput Baptiſtæ? hac ſui oris effigie appoſito ad faciem velo ſe Chriſtus exſcripſit, vt donũ mitteret Abagaro Regi; Rex Herodes hoc Caput amputauit, vt donum ſui ortus occiduum mitteret Saltatrici. Vtrumq; Regale munus eſt, hæc imago, quæ diuinitatem ſpirat, & gratum pij Regis probat obſequium; hoc caput, quod pœnitentiam prædicat, & Regis impij damnat inceſtum. Effig. I.C. Caput Baptiſ.

168 DE VVLTV I.C. ET CAP. IOAN.

SI Caput hoc clamat, vultus ſilet, improbe Regum,
Tu facis, vt clamet, tu facis, vt ſileat.

TAm viuax imago eſt, vt in illa nil pręter vocem deſideres; imò, ne vocem deſideres, facit præſentia Capitis Baptiſtæ. Hic eſt, o Herodes ille vultus, quem ſuſtinere non poteras tacentem, hoc eſt caput illius, quem perferre non poteras clamantem.

169 DE CAPITE BAPTISTAE.

SIſtitur Herodem patiens Deus ante Tyrannum,
Multa Tyrannus auet ſcire, Deuſq; ſilet.
Miraris Chriſtum, veluti ſine voce tacentem?
Deſine mirari facta, Tyranne, tua.
Qua ratione loqui poterat, ſi perfide vocem
Chriſto, Baptiſtam ſcilicet, abſtuleras?

S. Syluest. DIonyſius hunc locum fundauit, Syluester extruxit, Paulus proprijs ædibus deiectis auxit, & dicauit Sylueſtro, & Stephano, cuius Corpus hùc detulit: hùc pariter è Cœmeterijs adduxit Caium, Anterium, Melchiadem, Lucium, & Zephyrinum, qui calices ligneos mutauit in vitreos, rurſuſq; vitreos in metallinos. Satagebat ſedulus Pontifex, ne Chriſti ſanguis nobis deſtinatus in potum, ſemel effuſus in ligno, effunderetur fragilitate vitri, vel abſorberetur ariditate ligni.

170 DE S. ZEPHYRINO P.

LIgnea mutauit Zephyrinus, vitrea ſumpſit,
Aenea damnarunt, aurea ſerò probant.

Om-

OMnes prædicti sunt primę notæ Pontifices, nisi recenseas inter illos Leonem III. cuius sanguis indignè à Sicarijs per pauimentum huius Ecclesiæ dispersus est: reuixit tamen penè iugulatus Leo, vt suam innocentiam profiteretur, & veniam percussoribus impetraret, simulq; Romani coronā Imperij æquè liberali manu porrigeret Regi Carolo, ac olim Romam Constantinus obtulerat Syluestro. Leo III.

171 DE SS. SYLVESTRO, ET LEONE III. PP.

IMperium Leo dat, Syluester suscipit Vrbem,
Diuitis est dare, sed Pauperis accipere.

QVàm numerosa Martyrum series! Dorotheus, & Gorgonius vngulis laniati, sale, & aceto conditi, torti, suspensi, in Mare deiecti. Tarsitius, ne Sacramentum Eucharistiæ gentibus proderet, aufugiente hostia, lapidibus obtritus est. Calocerius, & Parthenius Eunuchi Regij gladio confossi. Imperatoriæ Virgines Cyrilla, & Arthemia, Martyres & ipsæ, multarum choros ducunt, quibus præeminent Elpis, Pistis, & Agappe. Excogitauit Adrianus, quomodo Christianas virtutes extingueret, & tres Virgines protinùs enecuit. SS. MM.

172 ECCLES. S. SYLVESTRI AD CAP.

QVod pedibus meruit caput insidiosa Puella,
Inter Virgineas splendet in Vrbe manus.

Sensit Ioannes Syluestri in nomine syluam;
Hùc fugit, & remanet tutus vterq; comes.
Ambo latent refugi, Baptisma ministrat vterq;
Et Terræ dominos, & Maris ambo lauant.

Arc⁹ Dom. ARcus triumphalis Flaminiæ viæ impositus vulgo attribuitur Domitiano; sed quidam laboriosiùs versantes marmora, agnoscunt effigiem insculptam fornici, è capillamento breui, & recto, è forma colli ampliore, censendam Claudij: reputant alij è suis bibliotecis Arcum Drusi. Demus nos hoc famæ, vt Arcum Domitiani credamus, Tanti enim hæc facimus, quanti Domitianus Muscas, aut Vespasianus Vespas.

173 AD ARCVM DOMITIANI.

FLaminiam complexa viam, quæ marmora curui
Fornicis annorum pondere pressa labant,
Extulit ille Nero caluus; sed concutit ætas,
Concitaq; impactis rheda voluta rotis.
Quisq; terit, quæ si Dominus foret ipse superstes,
Nec fugitiua quidem tangere Musca velit.

Literatus. PAlantes pauperum greges puerorum congregauit Ioannes Gerusius, & ad frugem bonā perduxit; Cognouerat illiteratus hic vir incognitam multis normam, ordinandæ charitatis publicæ, & priuatæ, quippequi dum alijs consuleret, æstuantes cupidinum suorum flammas non glacie, spinis, aut niuibus, sed bullientis vndæ balneo compressit.

De-

Depulerit Ianus calidis aquis hoſtes è Capitolio, Ioannes calidis aquis domeſticos ab arce pectoris amouet.

174 LITERATO.

SCit Literatus literas,
Ortam marinis fluctibus
Feruente mergit ollula,
Suæq; mortem Cypridis
Sagax in Olla repperit.

STetit Magdalena ſecus pedes Domini, nouum vitæ genus è lacrymis auſpicata, ſtetit iuxta crucem morientis famulata funeri, ſtetit in Eremo mortalium excluſa commercio. Hanc triplici proſcenio ſpectandam nobis exhibet Roma; Pœnitentem referunt hæc clauſtra, quibus fracta Cupidinum tela appendũtur, obſequioſam repræſentant, qui difficiles morientum tranſitus ad ſalutis portum dirigunt, ſolitariam exprimunt ſacræ Virgines, quæ in media Vrbe, quaſi in deſerta Oaſi ſeſe ab hominum oculis perpetua lege abdicarunt. S. Magd.

175 D. MAGDALENAE.

SParſa comas, rubicunda genis, accenſa pudore
Magdala, ceu ſidus prodigiale micat,
Deniq; Nazarei cadit ad veſtigia Regis,
Cui fremit infauſtas protinus aula cruces.
Scilicet extremæ prænuntiat omina mortis
Lapſa ſecus ſacros ſtella comata pedes.

SIue enim ſe in lacrymas effundat, inuidiam prouocat Hebræorum, qui ab effracto vnguenti alabaſtro ad mortem animantur Nazareni. Siue Cruci, & monumento adſiſtat, luctuoſæ ſui Regis adſtat Tragędiæ, hunc lacrymis in Cruce nil proficientibus proſequitur; quærit in ſepulchro, nec inuenit, & repertum tangere prohibetur: ſiue in ſpelunca Maſſilienſi conquieſcat, nil præter inhoſpita ſaxa videt, mox ad Cœlum rapta, quotidiè ſepties fruitur Chriſto, quem ſemel anteà tangere vetabatur.

176 D. MAGDALENAE.

NOli tangere, Magdalena, Chriſtum,
Lex Horti vetat attigiſſe flores;
Flos eſt, qui reuireſcit hoc in horto,
Iam pridem tumulatus in ſepulchro.
Flos eſt, qui renuit, vetatq; tangi,
Flos eſt iam ſibi factus Hortulanus.

Lucina. LVcinæ lucus, & Aedes, aut Lucina nobilis Matrona nomen loco impertiatur, magna ſanè lux proſilit è fumo D. Laurentij, cuius hìc vſtulata pars corporis, Craticula, Vncus, & Catena, incendij ſarcinæ reconduntur: reconditur etiam cum Socijs, Caput Alexandri, non annorum canitie, ſed morum, ſummi Pontificatus candidatum.

S. LAV-

177 S. LAVRENTIO IN LVCINA.

AVdio Lucinam, ſed Martyris intro ſub Aedē,
Quid tibi cum toſto Martyre, Iuno, fuit?
Si lucem, Lucina, geris; Laurentius affert
Lumina perſpicuo lucidiora die;
Si Regina praes Regnis, ſoliſq; Potentum;
Pontificum ſummas iſte miniſtrat opes:
Aere ſi regnas; hic victor in igne triumphat,
Hic ſuperat flammas, imbribus ipſa tumes.
Quid tandem, Lucina, tibi cum Martyre noſtro?
Flamma petit nubes, gutta nec vlla cadit.

VIx vigeſimum ſecundum annum emēſus Alexander Romanas infulas excepit, & decennio ſuſtinuit, & qui Macedonis animos adæquabat, creberrimis punctis transfixus Romani Reguli patientiam ſuperauit. Eius ætatis erat Laurentius, vt ſe Sixti filium poſſet appellare, eius ætatis Alexander, vt Diaconus crederetur. Credibile eſt, tantos viros rebus Chriſtianis accommodatos, quorum ſorte completa citò illos Cœlum repetijt ſuæ ſtirpi. **Alex P.**

178 S. ALEXANDRO P.

VIno miſcet aquam: miſto ſale temperat vndam,
Regnat Alexander ſobrius, & ſapidus.

QVatuor Præcones Chriſtiani nominis contrà Commodum ſuo Herculi ſacrificantem perſonabant, cùm Euſebio lingua radicitùs auulſa eſt: **S. Euſeb.**

ſed loquebatur efficaciùs ex ore cadens,& excuſſum veluti fulmen contra molliſſimum Imperatorem Herculeis indutum ſpolijs intorquebatur.

179. IN COMMODVM.

TV quoq; Cæſaream fœdaſti,Commode,ſedem;
Et tamen Herculeum nomen, & arma capis.
Te magis illuſtrat tua purpura mollis, & aurum,
Apta tibi claua eſt; ſed magis apta colus.
Nempe ſuis mundum domuit Tyrinthius armis;
Tu pariter Mundum, ſed Muliebre domas.

S.Felicola REconduntur SS.MM.Corpora Sempronij Vrbis Præfecti, & Gordiani: Reconditur & Virgo Felicola, quæ certiùs euaſit ad ſibi deſtinatam Patriam per aquas Cloacæ, quàm Clœlia per Tyberim. Et tu, Agrippina Romana Virgo,expiaſti impurum nomen Matris Neronianæ, dum inter ſtellas puriſſimo tuo ſanguine proprium retuliſti.

180 S. AGRIPPINAE V. ET M.

IMperet, & moriar, vetus Agrippina locuta eſt,
Imperet vt Virgo, ſuſtinet antè mori.

S.Felix. FElix Romanus Prsebyter coram Domitiano tria vno oris ſpiritu Idola difflauit. Quàm facilè fuerat Deo,hominem creare in animam viuentem inſpirato vitæ ſpiritu, tam facilè huic Viro fuit inflatis buccis Deos diſſoluere. Digniſſimus Felix, cuius felicitati adiungeretur Adauctus, & ſuum nomen improuiſa felicitate confunderet.

D.FE-

182 D. FELICI M.

DEstruit ore Deos Felix, Deus extruit ore:
Si creat ille homines, excreat iste Deos.

OBeliscus horarum index sub terra iacet. Indiscreta diu Populo Romano lux fuit, dum vtiliùs ille per Militum vigilias, per victorias, & nomina Consulum partiretur dies, & annos, quàm per vmbras. **Obeliscus.**

183 OBELISCO HORARVM.

COnstitit adscriptas index Obeliscus in horas,
Quem tumulo laceri temporis ira dedit.
Tempus in Eclypses compellit lumina Solis,
Vmbraq; deliquium sentit opaca suum.
Multa quidem nostræ nos linea commonet horæ,
Vna tamen rerum linea summa manet.
Mors est solstitium vitæ nullo indice certum,
Solaq; mors vmbris hoc notat atra suis.

TAndem Hominum capacia ingenia tentarunt Mundi ordines humanis legibus subdere; Et fuit qui imposita huic Obelisco aurata Pila varijs foraminibus interstincta corrigeret Annos, & minuta spiramenta temporum arcanis Regulis coerceret. Iucunda, sed nimium nobis fallax industria, qui punctum, quo viuimus, specie longioris spatij no- **Horolog.**

nobis distinguimus vmbrarũ motu, stillicidio aquarum, pulueris fluxu, æris sonitu, & tamen vnicum est interruptum, & fugax.

184 PILAE HORARIAE.

FIxa super puncto nostros Pila denotat annos;
Nam simul in puncto viuimus, & morimur.

S.M.in Cãpo Martio IN Campum Martium profugæ Grecæ Virgines ab incendio Leonis Isaurici Deiparæ imagines adduxere, & Corpus Nazianzeni, Cineres Polycarpi, Caput Cyrilli, & Quirini. Claruerunt omnes summis impositi cathedris Bizantij, Smyrnæ in Illyrio. Candidas tamen infulas octuagenarius senex Polycarpus colorauit sui sanguinis, & flammarum splendore; suas vero Quirinus lauit in fluuio, nam lymphis fluuialibus gurges, quem rapit, abluit.

185 SS.POLYCARPO, ET QVIRINO MM.

PEr flammas Polycarpe, per alta fluenta Quirine,
Non est è terris mollis ad astra via.

Terentus. TRina Terentino celebrata trinoctia ludo hæc Tyberis ripa personat, cum Ditis, & Proserpinæ furuis hostijs, cum lustris, & renouatis seculis, cum ludis, & lectisternijs. Substernuntur hæc omnia splendidæ domui Burghesiæ, cuius felicitati ara Ditis altissima fundamenta subiecit, cuius immortalitati propria se Ianus ab ara submisit.

AEDI-

186 AEDIBVS BVRGHESIIS.

AVrea non longis renouentur ſecula luſtris,
Ara quibus Iani, Ditis & ara ſubeſt?

HAec eſt Domus, in qua orabat S. Cæcilia. Orabat, vt cauſam vinceret, & obtinuit, vt Angelos, & homines ad ſui amorem pelliceret, & trãsfuſus amor in cor Sponſi, per hiatus vulnerum, multo cum ſanguine reſiliret in ſinum Saluatoris. **Orat S. Cæciliæ.**

187 ORATORIO D. CAECILIAE.

AN Cauſa cecidiſſe times, o Virgo? quid oras?
Si tibi, nec cæſum ter caput enſe cadet?

CItatæ ad ſuffragia tribus (cuius rei indicem columnam monſtrant) & ſuppoſita alicuius ædificij ruina Montem Citorium crearunt, in quo D. Blaſij Congregationis Somaſchæ Domus extat. Huius inſtructor Hieronymus Marinus nobilis Venetus; Beatiſſimus Vir, qui miſeratus Pauperes famę pereuntes ſuam operam locabat Męſſoribus, vt labores manuum ſuarum manducaret, & repoſcenti rationem Iudici verè poſſet reſpondere, ſe pauiſſe famelicos. **Mons Citor.**

188 BEAT. HIERONYMVS MARINVS.

QVilibet ergo animos verbis, & pneumate paſcet,
Quiq; velit corpus paſcere nullus erit?

Vn-

Orphani. VNde irridere libet quot quot mendacem, & fucatam superstitionem professi hùc illùc discurrunt, vt per aliquam ficti numinis simulationem alimenta inertiæ quærant; nec satis illorum pietatem extollere libet, qui congregatis Orphanis victum suppeditant. Talis locus est Romanæ charitatis exemplar S.Mariæ in Equirio dictus, quia illàc, vt aiunt, Equorum cursus, vbi nunc recolitur B.Virgo properans ad Cognatam Elisabeth in Mõtana Iudeæ.

189 S. MARIAE IN EQVIRIO.

AD Præcursorem Virgo festina cucurrit,
Currit, vt in cursu vincat, & anteuenit.

Antonini Basil. STatilius Taurus Amphitheatrum extruxit, non in Agro Sessoriano, vt vulgus credit, sed in Cãpo. An istud est, cuius Columnarum superbissimus ordo adhuc erectus ad D.Stephanum in Platea Petrę conspicitur? An veriùs ista est Basilica Antonini? Regium sanè Theatrum se Stephanus præstitit, dum oculos sedentium in Concilio ad se raperet, & stantem è Cœlis Deum ad sui spectaculum prouocaret.

190 DE AMPHITHEATRO TAVRI.

QVæ loca Statilij Tauri cæpere Theatrum
Ambigis? in Cœlum marmora ducta vide.

Am-

Ampla theatrales, quæ promptior eſſet ad vſus
Area, quàm plenus munere Martis ager?
Vrbis an extremæ latebras, an pinguia Campi
Aequora, dic Hoſpes, quid mage Taurus amet?

PAulus conuerſus, & decollatus celebratur ad Forum Columnæ. Penès Damaſcum caligantibus oculis ex equo in rete Domini decidit, & piſcatorum numero ſe vidit adiectum; penès Romam præcinctum velo caput ſecuri ſubmiſit, & ſe Cœlorum Regno ſenſit coronatum. Et quæ tua febris erat, o Febronia? an quæ contra mille procos te frigidam reddidit? an quæ diuinis te flammis exuſſit? Aperuit tibi venas malè ſanus Imperator, nec tuas remulſit febres, nec ſuam ſedauit inſaniam. **Forum Colum.** **Rel. S. Feb.**

191 D. PAVLO CONVERSO.

EX oculis Pauli ſquammæ cecidere: creatur
Piſcator, captus qui modo piſcis erat.

STultorum infinitus eſt numerus, fuit tamen qui illos centuriare voluit: dignus labor Hercule, dignaq; eorum cuſtodia, qui ſolo ſenſu, aut extra ſenſus viuunt: Si enim repagulis coercendi eſſent, quot infelix Saturnus mentis tenebris damnat, quot Mercurius ſuis alis extrà ſe rapit, quot fatua Bona Dea ſuis vberibus lactat, nec totis Vulcani Officina catenis ſufficeret. **S. M. Pietatis.**

EPI-

192 EPIGR.

SI fatui clauſtris omnes claudantur in iſtis,
Non erit in tota plenior Vrbe locus.

Colum. Antonin. DVæ Columnæ Bellorum, & Victoriarum ſignis exculptæ, non multis ſtadijs inter ſe diſtant. Hæc Antonini, altera Traiani: hæc ad veſtibulum S. Pauli, altera in Foro Traiani. Huius apicem illuſtrat Magiſter gentium, illius vertici eminet Ianitor Cœlorum. Tuæ felicitati datum eſt Sixte, memorias optimorum Principum transferre in Principes Apoſtolorum, & nouo planè miraculo ſuper Gentilium Columnas noſtræ fidei locare fundamenta.

193 COLVMNAE ANTONINAE, ET TRAIANAE.

HAec Antonini, Traiani eſt illa Columna;
Profuit his Dominos obtinuiſſe pios.
Vtraq; ſeruatum culmen ſuper aëra tollit,
Defeſſamq; diu degrauat alta baſim;
Diruat Herculeas metas carioſa vetuſtas,
Nullus enim vaſtis terminus hæſit aquis.
His ſuper imponitur fidei geminata Columna,
Altiùs ire poteſt nulla, nec vlteriùs.

Septa. INter fontem aquæ Virginis, & Forum Columnę non longè ab Iſidis æde, ſua ſepta, quæ vocauit Ouilia, extruxit antiquitas, in quibus citatæ ad ſuffra-

fragia Tribus conuenirent,illumq; mihi ferè locum indicant, vbi Eminentiſſimus Spada ſuas Aedes, olim Verallas,altiſſimo ſupercilio Flaminię viæ imminentes ædificat.

194 PALATIO SPADAE.

SPada ſuper Septis fabricas, & Ouile ſuperbum,
Marmore quod Lepidus ſepſerat, Aede premis,
Nempè tuis votis prænuntia ceſſit Ouile
Roma, priùs cedat, quàm tibi Petrus oues.

IMperatores Nauale prælium quandoq; exhibuere Tyberi inducto in campum ad Nemus Cæſarum, iuxtà Mauſoleum Auguſti, vel ad S. Syluestrum, vbi vulgus deſignat Naumachiam Domitiani. Diribitorium ampliſſimus locus, in quo ſtipendia Militi perſoluebantur,in priuatorum domos cōceſſit, præmonitis poſteris priuatas amicorum ędes ſi non Romæ,ſaltem alibì, priùs,quàm Hoſtium caſtra legionibus aliquando diſtribuenda. Naumach.

195 DIRIBITORIO.

HAec ſecla Grandem protulere Cordubam,
Qui primus haud præſentibus ſtipendijs,
Domos amicas diuidebat Militi:
Hic diribebat abſq; Diribitorio.

VIrgo in via prodigiosè emerſit è puteo, cui pars putei Samariæ adiecta eſt; & ſi Chriſtus S. M in Via

ſtus ſuper illum ſedit, vt ſalientes aquas ſpargeret; ſimillima filio Mater nouus fons è fonte Iacob exorta, ſuarum nobis fluenta deriuat gratiarum.

196 PVTEO S. M. IN VIA.

HOc patet in Puteo Cœlum; nã conditur hic fons,
Cui Pater aſtrorum Iacob origo fuit.

S.M. in Triu. VIrgo in Triuio, & ſynodo è viarum concurſu, dicta eſt Eccleſia à Beliſario cõſtructa. Hic erat ille triumphator Beliſarius, qui exactis ex Vrbe Barbaris, & catenatis Regibus, de ſuarum victoriarum ſuperbia paulò ad pium opus declinans, Templum hoc extruxit in Triuio, mox coactus erutis oculis in Triuio ſibi tugurium texere, & obolum emendicare.

197 BELISARIO.

VAde Ducum ductor, Beliſari, vade, præibo;
Si Dux eſſe nequis, non eris abſq; Duce.

Cletus P. HIc & Pontificis Cleti meminimus; qui primus Hoſpitia, & hoſpites ſigno Crucis munitos diſpoſuit, quò nouum ad ſpectaculi genus exteras gentes in Vrbẽ alliceret vtiliùs inſpecturas SS.MM. cineres in ſubterranea Roma, quàm in triumphante Circos, & Arenas. Si te exceptura natatus Virgo iuuat, en fons Triuij.

198 DE FONTE TRIVII.

NAscitur è gremio telluris frigida Virgo,
Et fugit è claustris protinus orta suis.
Virgo; sed in Triuijs prostat; sed in oscula currit;
Virgo; sed in nostros gliscit amica sinus.
Virgo vias, it Virgo domos; quid purius ista
Virgine, si puros, quos fouet, ipsa facit?

PRopè Fontem Aquæ Virginis erat Vipsana porticus, Aedes Iuturnæ, Templum Neptuni, Pila Tiburtina. Steterat Porticus Europæ, vbi Collegium de propaganda Fide; Porticus Argonautarum, vbi domus Cardinalis Cornelij. Venetos verè dixeris Argonautas, quorum gloria est in aquis sedem figere hac insuperabili fiducia, ne superueniat, qui statuat in àère fundamenta. **Porticus Argon.**

199 COLLEGIO DE PROPAGANDA FIDE.

ITe fidem Christi extremum proferte per Orbem,
Nunquid ab Europa cedere, longa via est?

AD S. Iacobi de Muratis, Cor S. Christinæ multas Virgines suo spiritu replet. Hoc vno sui pectoris corde fortis Virgo Turri inclusa, Deos deiecit, irrisit paterna verbera, maternas explosit lacrymas, rupit flagella, rotas confregit, laxauit fidiculas, soluit eculeum, extinxit laminas, & suas carnes in vultum Patris laniatas proiecit. Hoc **S. Christinæ Cor.**

corde in lacum Vulſinenſem deiecta, Serpentibus obiecta, ferreo lecto agitata, fatigauit Lictores, laſſauit Tortores, ſtupefecit Carnifices, & trium Prçſidum ſibi ſuccedentium crudelitatem conſumpſit. Hoc Corde ſenſit ſibi Patrem interfici, linguam è faucibus erui, vbera è pectore exſcindi, hoc ſuum Cor ſagittis transfigi. Geſtit cordata Virgo, ſuum cor tuis oculis hoſpes exponere, vt quam Virginem non vnam fuiſſe tot fortia facta conuincunt, vnius cordis intuitu vnicam fuiſſe deprehendas.

200 D. CHRISTINAE.

COr geminæ, Chriſtina, tuum fixere ſagittæ,
Vltima mors mortes finijt iſta tuas.
Centum animas habuiſſe putem, centenaq; corda;
Cor tamen vnius Virginis iſtud erat.

SS. Apoſt. FLauius Conſtantinus in latere Quirinalis iuxta ſuas Thermas Baſilicam Apoſtolis ſtatuit. Reuocauit hùc pius Imperator eorum nomina, quorum voces, & linguæ in fines Orbis terrarum exierant: recurrentia verò ſecula, quos binos & binos Chriſtus miſerat, huc binos & binos reduces venerata ſunt in Vaticano Simonem, & Thadæum, in hac Aede Iacobum, & Philippum.

201 SS. APOSTOLIS.

DIſcipulos Chriſti recipis prope Balnea, Flaui;
Hoc eſt Diſcipulis velle lauare pedes.

Hic

HIc est iustus ille Iacobus ab antiquo non degener, qui ad sacrosanctę domus culmina euectus, & deturbatus, conspersis sanguine parietibus, & tectis, mortem, & sepulturam ad Templi limina reperit. Deerat hoc vestræ perfidiæ, o Iudæi, vt iustorum sanguis non solùm inter vestibulum, & Altare, sed ab ipso Templi fastigio, contra vos altiùs proclamaret. Præluserat aliàs vester furor tàm nobili præcipitio, dum concionantem deieceratis, vt neq; in hoc ab ipsius Iacob gloria Iacobus deflecteret, quin vestra manu violentiùs, quàm ab Angelo, toto vitæ suæ tempore claudicaret. S.Iacob.

202 D. IACOBO.

TAm similis fratri fueras Iacobe Magistro,
Falleret adstantes vt tua forma suos,
Tam iustus fueras, electus vt arbiter esses
Legis, & arbitrio vinceret illa tuo.
Lex Christi vicit; sed te de culmine Templi
Peior auernali stirps Acheronte rotat.
Quod contra Christum frustrà tentauerat olim
Satan, Hebræus tentat, & obtinuit.

ET tu Philippe, qui Deum Patrem videre expectebas in terris, illum iam vides in Cœlis, & qui mortuos suis mortuis sepeliendos reliqueras, viuentem Dei filium sequeris, & in Cruce sequeris, vt æternùm viuas. S.Philipp.

203 D. PHILIPPO APOST.

AD rupes Scythicas, Philippe tendis,
Quò fers ſemina luminis ſuperni.
Non lædit Scytha, quem Phryges cruentant;
Hippos nam Scytha potat, haud Philippos.

S. Eugenia EGregium SS.MM. numerum hìc potes inuiſere, dum ego in vnius Romanæ Virginis admiratione defixus hæreo. Hæc eſt illa nobilis Eugenia, quæ ſupra muliebris fortunæ conditionem ſe Monachorum clauſtris, quaſi Virum commiſit, & inde mutata larua prodijt argumentum virtutis propriȩ, & opprobrium libidinis alienæ.

204 S. EVGENIAE V. ET M.

FIt Monachus Virgo, quæ mox reputatur Adulter,
Creditus Eugenius, redditur Eugenia.
Vltima pro Chriſto tormenta viriliter ambit,
Iam ſileat priſcos Græcia Tireſias.
Cȩnea conticeat, feriunt quem vulnera nulla,
Hæc rurſus contra vulnera Virgo vir eſt.

Iſidis Tēp. ET nos vidimus erui fundamenta poſt D. Marcelli, quæ fuiſſe Iſidis fama erat. Imperator Tyberius barbarum numen cum Iſiacis diruit meritiſſima pœna, nam Numinis obtentu myſteria Anubidis verterant in lenocinia. Et quæ alia ſacra

à ſa-

à ſacrificulis fœdæ bouis, & canis expectari poterant, quàm libidines, & ſacrilegia? Degenerauit iuſſu Cæſaris Templum in Stabulum, in quo ſe circum voluentibus annis Marcellus Põtifex fœtore, & ſitu inter beſtias contabuit.

205 D. MARCELLO.

VIle miniſterium Stabuli Marcellus obibat,
Niliacæ fuerant hic vbi Templa Deæ.
Nec diſpar Stabulo patuit vetus Iſidis Aedes,
Nobile cui Numen Bos fugitiua fuit.
Pontificem retulere tamen præſepia Cœlo,
Magnum de Cœlo quæ retulere Deum.

ALter Pontifex Vigilius hìc requieſcit, qui malis artibus Pontificatum inuaſit, & raro exẽplo innocentiſſimè exercuit. Requieſcit & Phocas pauperis horti cultor, & Peregrinorum pius hoſpitator. Receperat ſua domo milites, quibus ſe Chriſtianum profeſſus, hoſpitalitatis pręmio cum morte hanc gloriam retulit, vt ab eius ſepulchro venena fugerent, & qui viuus ſuam mortem receperat domo, mortuus alienam arceret è ſepulchro. Vigilius P.

206 D. PHOCAS M.

EXcipit Hoſpitio mortem, tumuloq; repellit;
Mortuus eſt hoſtis, cui prius hoſpes erat.

S Ioann. Presb. ET Io. Presbyter, quaſi buſtuarius veſpillo, cũ eſſet totus in ſepeliendis Martyribus, tandem è ſepulchris ad patibulum elatus eſt : & Lanceator hic eſſe dicitur, qui caligantibus oculis vidit, quò haſtam dirigeret altiſſimo ictu ad Cor Dei.

207 AD LONGINVM.

DIlexit noſtras Chriſtus, Longine, tenebras
Mortuus in tenebris, natus & in tenebris.
Et cum deficerent ipſo moriente tenebræ,
Excipit è tenebris vltima tela tuis.

SS. Dig. & Em. ROmanæ Virgines, Digna, & Emerita inuidiã faciunt Aeginis, & Danais. Ad illas Iuppiter ſub varijs imaginum ſpectris aduolabat, ab harum aſpectu etiam Metallinus aufugit. Complet SS. numerum Felicitas, quæ, antequam cruciaretur, ſeptem filiorum cruciatus excepit, & in ſingulis, ne cruciaretur, extimuit.

208 SS. DIGNAE, ET EMERITAE.

DIgnior Emerita num Digna ſit, ambigo; neſcit
Iuppiter, & pretium factus vtramq; fugat.

Cuſt. S. Pau. EN cuſtodia D. Pauli, quando vipereos Iudæorum morſus expertus elegit confugere ad ora

Leo-

Leonis. Hìc Paulus ſuas catenas non erubuit, dictauit Epiſtolas; hìc Lucas Euangelium, & Apoſtolorum praxim conſcripſit; Ex hac cuſtodia, velut ab ærario diuinitatis altiſſimas ſapientiæ Dei diuitias Vas electionis profudit; has identidem ſuis ſcriptis Lucas excepit, ſimulq; diuina expreſſit calamo, & humana Virginis, & Filij lineamenta adumbrauit pennicillo.

209 S. MARIAE IN VIA LATA.

SIſte pedem, curuaq; genu, venerareq; Lucam,
Laurea cui triplici fronde reuincta viret.
Exigis, artifici calamo qui digerat acta,
Quiue coloratis exprimat ora modis?
Quæris, Apollinea qui pharmaca temperet arte?
Cuncta ſub his tectis præſtitit ille Deo.
Tam benè qui miſcet, medicamina, geſta, colores,
Promptus ab electo ſingula Vaſe tulit.

ARcus Traiani, aut Gordiani iunioris hinc euulſus. Titulus S. Cyriaci in Thermis hùc (aiũt) translatus. Mutauerat ſæpe Cyriacus locum, dum è Traſonis domo ad Arenarias, ad Diocletiani Thermas, ad Imperatoris aulam, ad Perſarum Regiam excurreret; varia tamen receptus in loca ſuas reliquias perpetuùm cuſtodiendas Pauli cuſtodiæ commiſit. S. M. in Via lata.

210 S. CYRIACO.

HEu tua Tēpla vbi ſunt? Quæ te, Cyriace, perun-
Pix erit æternùm nominis illa tenax. (xit,

S.Romual. VIxit Romualdus viginti annos ſeculo, centum Deo. Nouum vitæ genus ab inſpecto Vitalis Martyris corpore auſpicatus, exæquaſſet ſenio coruos, ni viuaciùs candore animi columbas expreſſiſſet. Antonina in lupanar intruſa ibi Veneris victima ſeruabatur, quando Miles intrauit, & mutata veſte Virginem abire permiſit. Hoc loco quid aliud adiecerim, quàm dignos ſplendida fraude cognita Heroes, qui ſtabili vinculo dextras in igne iũgerent, &, vel præſectis manibus Cœlum raperent?

R.S. Antoninæ.

211 D. ROMVALDVS.

NOn ne diu viuam, mihi ſi Vitalis origo
Prima fuit vitæ, principiumq; meæ?

Porticus Palat. AN Marcus hìc creatus Pontifex, an Templũ fundauerit, lateat in penetralibus antiquitatis, & interea Corpus Pontificis, & Euangeliſtæ reliquias in hoc Vrbis Romę titulo reuereamur. Auxere ſuo tutelari Marco Pontifices Veneti decorem inſigni Palatio circumpoſito; vt ſi æſtiui àëris inclementia illos amouiſſet è Vaticano, haberent quò ſe opportunè reciperent ad Palatinas porticus apud S. Marcum.

S. MAR-

212 S. MARCO.

Marce, Palatinas dederat cui Porticus umbras,
Et domus æstiuo tempore Pontifices,
Respice res Italum refluas terraq; Mariq;
Subde patrocinio Martia tecta tuo.
Subdere cum nequeat totum tibi Iuppiter Orbem,
Vult tibi cum Patria subditus esse sua.

ET quis vicinior Petro, quàm Marcus Petri dilectissimus filius? in huius humeros Alexandrina Ecclesia totius Orientis amplissima incubuit, & tunc firmiùs fundata est, cùm funibus ille per terram raptatus suum sanguinem terræ visceribus infudit. Huius inuicto nomine contra barbaros Europa protegitur, & pretiosa Romanæ libertatis semina custodit Italia; Huius pedibus Iouem, & Græciæ Deos, è suis sepulchris prouolutos opem implorare suspicimus. S.Marcus.

213 PATRIBVS VENETIS.

PVrpurei Proceres Veneti saluete Senatus,
In quibus Italiæ publica cura sita est.
Hesperiam terris pariter defendite, & vndis,
Res Itàlum vestra stantq; caduntq; manu.
Penè catenati ferro vincimur & auro,
Vndiq; præcipiti cingimur hoste latus;
Ni vigil asseruet custodia vestra, iacemus
Barbara præda igni, naufraga turba Mari.

Tem-

Abd. & Sen.

TEmpli decus augent nobiles Perſæ Abdon, & Senen. Reſtitere Imperatori Decio, & feris expoſiti terram compreſſerunt, cui iam pridem ſupplicare renuerant, & cum recuſaſſent ſe ſubmittere Soli, ad Solis aras mortui iacuere. Exceſſerant videlicet ab extrema Perſide illuſtres Viri, & tantum Terræ pedibus proculcauerant, vt repentè ad Romanas Telluris aras ſupplices caderent: Venerant, & ignem ſolemq; more patrio adorare deſtiterant, vt in Vrbe Vrbium Regina peregrinas lacrymas ingererent focis, & arabico odore Soli fumicarent.

214 SS. ABDON, ET SENEN MM.

THura ne Telluri? faculaſue accendere Soli,
Quis iubet? ah potius terraq; Solq; cadant.
Nos ſuper immenſo labatur pondere tellus,
Nos ſuper Occiduum portet Apollo diem.



RVI-

RVINARVM ROMAE EPIGRAMMATVM.

LIBER TERTIVS.

1 VRBANO VIII.

MAxime Pontificum, votis aſſueſce vocari,
Et mihi, ne Patria deprimar, affer opem.
Dum cano Romanas, proprijs ſuccũbo Ruinis,
Quas omnes digito ſuſtinuiſſe potes.
Subdor adoratis pedibus, penituſq; iacebo,
Ni videam promptas ad mea vota manus.

SEd nunquid in vaſta Mundi mole componenda occupato vacet Vrbano, ad voces ſtridulę Muſę aures porrigere? Hæc equidē Iuuenilia diſpergebam carmina, cum adhuc Patriæ Palladis aris mihi adeo infructuoſis inſeruirem, vt cogerer ad frugiferas oliuæ vmbras aliò deuolui: vnde etiam improuiſo Martis turbine deturbatus, eodem ferè tempore à militibus Mantuæ ſpoliabar, & Bononiæ obijciebar peſti. Neq; grauiora meo capiti impendere reputaſſem, cum nocturnis graſſatoribus intercipior, vt omni humana ope deſtitutus tàm præſentem

tem agnoſcam Deum, ac ſi in mea vnius diſcrimina totus intendat. Sed mæſta reticere fas eſt, dum Capitol. Capitolium aſcendimus lætiſſimam Deorum ſedẽ, & Iouis terreſtre domicilium.

2 CAPITOLIO.

ISta ne centenis Capitolia clara triumphis
Aurea de prono ſuſpicienda foro?
Demisère caput, faciem auertère ſuperbam,
Inuerſoq; patent poſteriora ſitu.
Omnia ſe voluunt, fugiuntq; perenniter omnia;
Heu Capitolinus mons quoq; terga dedit.

Scala. QVæ nunc Capitolij facies eſt, triumphantis Romæ temporibus tergum erat; frons verò ædificiorum, & cliuus, & portæ Romanis foris imminebant. Marmora ingentis ſcalæ, per quam tendimùs ad aram Cœli, feruntur ablata è Quirini tẽplo in valle Quirinali, vt noſtris pedibus ſe quodammodo Quirinus ipſe ſubſternat.

3 DE SCALA ARAE COELI.

HVc aliena tuli ſpoliato Rege Quirinus;
Hæc mea, quæ ſterno marmora, ſunt ſpolia.

Specula. ALtiùs etiam, ò hoſpes ad excelſæ domus faſtigia potes pergere, & ab edita ſpecula vno obtutu tibi ſubdere antiquam Romam laxatis vndiq; ſpatijs deſertam, deformata facie rudera ſolùm hederis conuoluta, vites, & pampinos oſtentantem;

tem; non aliter quàm ſi pudibunda ſuas plagas, & vulnera frondibus contegat, & perpetua viriditate ſpem nutriat reſurgendi.

4 ROMAE VETERI.

Viſitur iniecto ſuperobruta puluere Roma
Squallida, ſub terra penè ſepulta iacet.
Vix videas, ſuperis quæ fundamenta minantur
Collibus, innato palmite nexa tegi.
Si quæras antiqua Numæ Capitolia prima,
Ante oculos veniet vinea clauſa tuos:
Quære triumphales defixa trophæa per arcus,
Nobile luxuries Bacchica paſcit opus:
Tarpeias exquire arces, quære ampla Theatra,
Mordaces hederæ ſaxa ſuperba vorant.
Quære Palatini, quære aurea tecta Neronis,
Per ſparſos cineres ſe vaga vitis alit:
Quære vias, & templa; olim Iouis omnia, Martis
Omnia; iam dices omnia Bacchus habet.

PRimum omnium Romæ templum Ioui Feretrio paruum quidem, ſed vaſto animo ſacrauit Romulus, quando Acrone Ceninenſium Rege occiſo, opima ſpolia ad quercum Paſtoribus ſacram appendit. Exin Auguſtus Delphicis, & Sibyllinis commonefactus oraculis hìc aram Primogenito Dei dicitur ſtatuiſſe; quod ſi credimus, primam pariter iſtam in vniuerſo terrarum Orbe Chriſto Deo erectam fateamur oportet. **Iup. feret.**

DE

5 DE IOVE FERETRIO.

QVando feris Regem, Feretri Iouis omine gaudes;
Quando feriris, habes, Romule, nec Feretrum.

Eccl. S.M. Arę cęli. HAnc itaq; S.P.Q.R. principem ſuis votis elegit Eccleſiam, in qua B. Virginis effigies per Vrbem delata ſub Gregorio Magno peſtem compeſcuit, viſuſq; in apice Molis Adrianæ miniſter iræ Dei Angelus enſem recondere, & veſtigia in marmor imprimere. Imperatoris Conſtantini familiaris Artemius hìc iacet, qui ab Aegypti Præfectura ad capitale ſupplicium imperante Iuliano raptatus agnouit, ſucceſſores exercere fatale odium aduerſus anteceſſores ſuos, familiares, Domos, ſacra, & Deos.

6 AD ARAM COELI.

PRotegit antiquam Rupem, populumq; Patreſq;
Pro Capitolino Virginis ara Ioue:
Virgo tuis precibus potes exarmare Tonantem,
Cui rapis è rapida tela triſulca manu.
Tempora reſtituis veteri quaſi conſona famæ;
Cùm Iouis in dextra fictile fulmen erat.

Marfor. GRande ſimulacrum ſenis diſcumbentis ſuper marmorea concha, & in lacum profundentis aquas, cuius fuerit, incertum. Quidam inter fluuios recenſent, alij effigiem Vertumni, aut Iouis Panarij credunt. Quicunq; fuerit, ſenex hic Marforius

di-

dicitur, dicaculus, & alieno periculo mordax; ſed obnoxiam exoletæ libertati ſenectam excuſemus.

7 MARFORIVS.

AMbigo, qui fuerim; Rhenũ, Tyberimq; fatẽtur,
Tigrim, Vertumnum, nec ſine pane Iouem.
Me ſuper impoſitum feror euexiſſe coloſſum
Cæſarei quondam pondere preſſus equi.
Vertumnus credor, formas quia vertor in omnes
Vertumnus verſo dicor ab amne Deus.
Hic iaceo ſine dente Senex, & ſingula rodo,
Quæ mihi de Dominis nuntiat aula ſuis.
Sed fruſtrà fluxas capto ceu Belides vndas,
Atq; fatigatis faucibus ora dolent;
Quin Capitolinæ ceu cuſtos Iuppiter arci
Reddere direptum molior Imperium.
Si Gallos pepuli proiectis panibus olim,
Germanos fuſis pellere conor aquis.

ET Ianus hac ab arce Sabinos olim aquis arcuit. Aſylum. Exornat medium Capitolinę areæ (quam vetus Aſylum quidam credunt) ingens equeſtris ſtatua metallina hùc è Cęlio Monte translata. Inſeſſor equi apparet Septimius, aut Antoninus Pius, aut Marcus Aurelius: quamuis alij è moderamine pilorum barbæ Lucium Verum eſſe conuincant: nec leue argumentum putes, quod è pilis petitur, & forcipe tonſoris in dies examinatur.

8 STATVAE EQVESTRI.

LVcius, aut Marcus, Pius esto, vel esto Seuerus;
Nam quoq; sub falso nomine Verus eris.

St. Rom. PRæ foribus Palatij Senatoris Capitolini obuio ascendentibus in loco stat marmorea statua Romæ sedentis,& spargentis aquas. Apparet nunc Dea fontis, quæ fuerat Domina terræ, & maris; & emensa fortunas Cæsarei capricorni euasit in signũ Aquarij.

9 ROMAE SEDENTI.

HOspes, ne credas Romam cecidisse vetustam,
Nec stat, nec cecidit Roma; quid ergo? sedet.
Scilicet emeritæ fruitur bona parta senectæ
Publica consilijs arbitra facta suis.
Regnat adhuc Roma, & possunt plus verba sedentis,
Quàm Iuueni quòndam concita pila manu.

Pal. Senat. AEdes Manlij, qui Capitolium ritè seruauerat, ni regno suo seruasset, ædesq; postea Iunonis Monetæ, & officina fuisse dicitur, vbi nunc Capitolij Senator, vnicus è prisco Patrum ordine Senatorium nomen sustentat. Alij monent Monetam centum suis gradibus spectasse vicum iugarium, in quo nunc ædes S. Mariæ Consolationis. Vtcunq; sit, eam odiorum legem suis Patribus indixit Romana plebs, vt Senatorium nomen auersaretur. Num tandem antiqui Senatus fastigium commigrauit in Eminẽtissimum ordinem Purpuratorum?

TEM-

10 TEMPLO IVNONIS MONETAE.

IVno Moneta mone: meruiſti templa monendo,
Quæ Capitolinus ſumma Senator habet.
Diſcite Iuſtitiam moniti, monet iſta Senator,
Iuraq; Romano diuidit æqua foro.
Litibus infrendant Diſcordia, Cypria, Pallas,
Comprimet infenſas ſola Moneta Deas.

REctè Saturnium montem ęſtimantibus Capitolium vocatur pars ſublimior, Ara Cœli dicta; Arx verò pars ad rupem Tarpeiam flumen verſus ſita. Interſtitium inter Capitolium, & Arcem obſederat Aſylum inter duos lucos intermedio Veiouis templo: nec abnuo, ſi quiſpiam ritè dimenſus hinc inde ſpatia putet inſtitiſſe Veiouem, paruum ſcilicet Iouem ſine fulminibus ac telis, altrice capra cognitum, vbi alma populorum Mater Roma fontanis ſcatet vberibus. Temp. Veiouis

11 VEIOVI.

PAſce, Capella, Iouem; nā factus grandior, Ammon
Bos, Aries, Satyrus, cornua totus erit.

IVppiter Tonans ſtetit in cliuo Capitolino, cuius porticus oſtendunt poſt ædem Senatoris tres columnas capitulo tenus ſub terra defoſſas, apud quas, iampridem noxij Publico plectebantur. Apparet, quàm fluxa ſit illa potentia, quam ſoli tonitrus armant; cum frequentiùs homines Cœlum re- Iup. Tonās

ſpiciant Iride picturatum, quàm procellis horridum, & efficaciùs Iuppiter terram ad ſe trahat aurea catena, quàm commercio fulminum.

12 RVINIS TEMPLI IOVIS TONANTIS.

IAm tonitrus ceſſent: ſequitur ſua pœna nocentes,
Perq; ſitum veterem mors truculenta volat.
Si faciunt mortes, & tela triſulca Tonantem:
A Ioue nil differt dextera Carnificis.

Ian. Cuſt. IAnum cuſtodem apud noſtri temporis carceres comminiſcuntur, & ſanè apud Antiquos quot nomina, tot numina ex luto, ære, ligno, quæ ni tempus arroſiſſet, plures iam Deos, quàm homines haberemus; ſagax tamen ſacrificulorum cura occultabat ſenio marcidos Deos in Fauiſſis ſubterranea in foſſa, vt Idolorum mortem popularibus oculis ſubduceret, & in Saturnium montem reconderet Saturni progeniem.

13 FAVISSIS.

TErra ſinu vaſto veterum fragmenta Deorum,
Quæ coluit templis, condidit his foueis.
Flet laceros complexa Deos Saturnia tellus,
Ceu data Saturno pabula ventre gerat.
Non eadem magnæ matris ſunt viſcera terræ?
Pignora quot peperit; funera tot recipit.

Term. Capitol. INter illos Deos ęgrè digerebatur Iuuenta comite Terminus ille Capitolinus, qui in conſtructio-

ctione templi Iouis inexoratus, neq; euocatus sua in cella permansit. Sed cum diù loco moueri recusasset, tandē cessit necessitati, qui non cesserat Ioui.

14 TERMINO CAPITOLINO.

COnstitit in patulo Capitoli immobile saxum,
Multus in extremis Terminus hæsit agris.
Quos tamen haud potuit Saturni perdere venter,
Tempus vt assuetos atterit ore cibos.

SVper alta crepidine obfirmatus olim Capitolinus Iuppiter, iam nulla præteriti fastus vestigia præsefert: in huius gremio deponebantur Laureæ victoriarum prænuntiæ: hùc annua nouorum Cōsulum pompa procedebat: hìc solenne claui pangēdi ius erat, vel vt pestes auerterentur, vel vt annorum numerus designaretur clauis, quos vtiliùs in altè euecta fortunæ rota defixissent. Cap. Iup.

15 DE IOVE CAPITOL.

DEijciunt è rupe Iouem sua fata, vicissim
Præcipitando reos, præcipitando Deos.

DIssipata Capitolini Iouis fundamenta seruabat olim ædes S. Saluatoris in Maximis, qui vt annos nostros æternæ vitæ adscriberet, in sui sacrario corporis clauos, & ferrum infodi patienter sustinuit. Saluat. in Max.

16 RVINIS S. SALVATORIS IN MAXIMIS.

OPtime Saluator, Saluator maxime Mundi,
Cur refugis prisci templa superba Iouis?
An ne hominum mentes habitare, & pectora gaudes?
Sed reserata patent mille cupidinibus.
Mille Ioues, Veneresq; habitant, & mille Chimeræ,
Squallent tartarea tabida corda lue.
Ni tua crux nostris impacta Idola reuellat
Pectoribus, vero non erit ara Deo.
Maxima tu reddes, erimus tunc optima templa,
Si lubet hùc clauos figere Christe tuos.

Rupes Tarp. TArpeiam Rupem splendidè occupat Domus Caffarella. Aediculam Deiparæ dictam in monte Caprino exornant, qui saponem construunt, & cauent ne per lubrica montis dilabatur. Residuũ rupis salientes capræ obtinent, & per antiqua præcipitia ad pastum securæ discurrunt.

17 TARPEIAE RVPI.

GRæcia suppofuit pro vincta Virgine Ceruam,
Hìc pro Tarpeia Virgine cerno Capras.

Temp. Cõcordiæ. FIrmat adhuc stabiles Cõcordia prisca columnas; si tamen verum est Concordiæ potius, quàm alterius nominis esse octo illas, quæ adhuc è Capitolij margine foro imminent. Iuppiter custos constitisse creditur penes palatium Conseruatorum.

E to-

E totius Orbis Imperio hìc superest reuerendum nomen Quiritium. Hìc tribunal erexit inextincta maiestas Romani sanguinis, hìc collectis ex Vrbis incendio cineribus fauillas legit, & faces præfert sui nominis immortalitati.

18 PALATIO CONSERVATORVM.

QVàm malè seruauit sibi custos Iuppiter ædem,
Tam benè conseruat prouida cura Virùm.
Romæ relliquias, & libertatis auitæ
Semina custodit qualiacunq; potest;
Quid faciat? cum fata volunt, nec tuta sub ipso
Stat Ioue, quæ steterat tuta sub Anseribus.

NEc minus argentei Anseres inuigilabant liminibus Capitolij, quàm pugnaces Aquilę marginibus Imperij: suis illi clangoribus Gallos ab arce depulerant, istæ victricibus alis exterruerant Vrbes, & populos, quos vel tum Romulus suos asserebat, quando perticæ imposito fœno militibus signũ dabat, quasi vniuersum orbem suum faceret sua sub hasta. Cõseruat.

19 VEXILLIS ANTIQVIS.

ALta superpositum feni extulit hasta maniplum;
Romulus hoc signo traxit ad arma suos;
Quis non appensas paleas vexilla putasset
Ludicra nimbiferis concutienda Notis?
Attamen hæ stipulæ nidum, sedemq; parabant,
In qua magnanimæ nidificastis Aues.

Statuæ. ALtissimæ statuæ Constantinus, & Pallas sepulchris assistunt; Alexander vero, & Mammea discumbunt super monumento, in quo raptus Sabinarum exprimitur. Extremis anhelitibus efflat animam sub Leonis vnguibus moriens marmoreus equus.

20 DE RAPTV SABINARVM.

VIuere vult rapto, vult rapto nubere, rapto
Vincere: vult rapto Romulus ergo mori.

Caput Colossi. EN ingens æreum caput cum manu Commodi quo imposito colossus Neronis prioribus abscissis fæcunda tanquam Hydra germinabat. En pedes marmorei Apollinis, en Augustus, & Cæsar, & columna rostrata Duilij Consulis, qui Romanorum Ducum primus victricia rostra in altum mare direxit, & Carthaginiensium inuncatis nauibus, capta præda, cum triumpho reduxit in patriam.

21 PEDIBVS COLOSSI APOLLINIS.

SVbdit Apollineis se turba poetica Plantis,
Sed miseræ solos liquit Apollo pedes.

Mensura frum. MArmorea concha, qua P. R. vtitur pro modulo mensuræ frumenti, sepulchralis arca fuerat Agrippinæ; altera verò quæ steterat pro mẽsura salis, & calcis, fuit arca Neronis. Absit verbo fides, ni antiqua amplis caracteribus hoc expressè loquantur insculpta marmoribus Epitaphia.

Gra-

Gratus P.R. gestit agnoscere è liberalitate Augusti suam annonam, & condimenta; dum Nero sal, & Agrippina frumentum abundè spargit in Populum.

22 MENSVRAE SALIS.

HAec mensura salis fatui fuit arca Neronis,
Desipuit viuus, mortuus insipidus;
Condiat extinctum toto sale Roma Neronem,
Qui sapit in tumulo, non nisi serò sapit.

OPpidula duo Romanis Cõseruatoribus supersunt. Quàm pusillum de tanto Imperio restat Imperium? Quæ signa, & statuæ hic seruantur, præseferunt indicia præteritæ fortunæ, & conuincunt, nec molliùs æra excudi, nec viuaciùs spirantes è marmore vultus educi. Statuæ.

23 DE REPVBLICA R.

VEnit ad extremum Romana potentia finem,
Cui solùm superant oppida parua duo;
Desijt in piscem mulier formosa supernè,
Ad caudam ventum est, ò Lupa magna, tuam:
Te tamen haud pudeat, fortunatissima rerum:
Mundum etiam caudà cælitùs Vrsa regit.

DAedalea profectò manu ære multatitio conflata est Lupa Romani nominis altrix è Comitij ruinis extracta. Illam vides vberibus graui- Lupa.

dis vitali rore rigantem paruos Mauortis ſemine natos: vides elatis manibus alludere ad vbera infantes geminos, & tangere Matrem.

24 ROMVLO, ET REMO PARVVLIS.

Regnandi ſors arcta nimis, lex Regibus exlex:
Quæ ſibi conſortes deÿcit è ſolio.
Pendentes Pueri pariles, quos vbera circum
Ludere concordi ſimplicitate vides;
Heu quantum inter ſe bellum, quam ſæua refigent
Vulnera fraterna congeminata manu.
Nec ſatis Orbis erat ſolis, quos Mundus alebat,
Cum cecidit fratris verbere cæſus Abel.
Illos protulerat duro eruta Mater ab oſſe,
Hos paſcit crudo lacte ferina Lupa.
Diuiſæ Thebæ, fumus, patriæq; fauillæ
Oedipodionidis inſociabilibus.
Et geminos Regnum Romanos non capit vnum,
Vnum quos vteri cæperat hoſpitium.

Brutus. NEc arte impar Lupæ Aegyptio cultu veſtita mulier, & Brutus adſtant Regio triclinio, & aſſiſtunt menſæ inter aurum, & purpuram conſtratæ. Paraſitatur accumbentibus Romanis Brutus? Brutus ille, cui ſedes olim in Capitolio inter Reges cum inſcriptione, Vtinam Brute viueres? vel alter iſte, qui nullos homines reputat, quia nullos ſui generis inuenit Brutos?

DE

25 DE LVPA ROM.

CVius erant artes populos frænare feroces,
Et premere impoſito ſceptra ſuperba pede;
Gentibus, & populis nunc proculcatur, & omnes
Obſequioſa colit, deſidioſa tremit.
Lenis adulatur Gallo, blanditur Ibero,
Germano lacerum diuidit Imperium:
Omnibus obſequitur, quæ ſeptem collibus olim
Creuerat hydra minax, blanda catella modò eſt.
Fata reuoluerunt, ſic Dij voluiſtis, vt illa,
Quæ caput Orbis erat, poſtmodò cauda foret,

HErcules è metallo Corinthio inuentus inter rudera aræ maximæ ab Euandro ob necem Caci conſtitutæ præſefert aurea poma; vt ab Herculea manu mala etiam aurea deprehendas. Altera paſtoris ænea ſtatua ſibi ſpinam è pede reuellẽtis, ſi vulgo credimus Fauſtulus eſt nutricius, & cuſtos Conditorum. **Hercules.**

26 STATVAE FAVSTVLI.

FAuſtulus ille pater geminorum creditus hic eſt,
Qui ſibi confixam vellere tentat acum;
Paſtor ſollicitus per acuta rubeta cucurrit,
Tolleret vt Pueris iurgia prompta ſuis:
Et prior alma Venus Romanæ ſtirpis origo
Vulnere pro nato ſenſit hiare manum.
Imò pedem ſi læſa ſolet Citherea notari,
Par potuit ſpinæ ſtigma referre Patrem.

Prouinciæ. SEdent captiuæ Prouinciæ, & ſe reuoluentibus ſeculis confidunt, poſtquam diù ſederint, ſurgere. Stat cum altero Conſule Tullius, & conticeſcit: & non ſileat, ſibi lingua à petulanti fœmina euulſa? Imò non ſilet, cuius ore terrarum orbis loquitur vniuerſus.

27 STATVAE CICERONIS.

NOn loquitur Cicero; quia faucibus improba linguã
Fuluia detraxit, barbara turba rapit.

Panes. IMitantur auriti Panes, & Satyri capros, illumq; mihi planè hæc metallina ſimulacra referunt Midam aureum, qui longis auribus eſſe dum voluit totus aſinus fuit, admonitus ſerò, non aures, & aurum; ſed longas manus voto Regibus expetendas.

28 STATVAE LEONIS X.

NOtus ab vngue Leo ſit fabula vana Poetis,
Eſt Leo munifica notior iſte manu.

Leges. VIolentus fortunæ turbo cum Romanis legionibus armorum robur difflauit, & antiquas leges marmoreis, & æreis tabulis inciſas fatale cõſumpſit incendium. An ſecuræ leges ſtarent armorum præſidio deſtitutæ?

29 TABVLIS LEGVM.

TV ne quæſieris leges, ſcriptaſue tabellas
In malè connexos æra notata reos.

Mul-

Mulciber has omnes passim duro ære liquato
Abstulit, aut rapido fulmine dextra Iouis.
Aequam Saturni gentem sine lege decebat
Sponte sua veteris viuere more Patris.

QVod hierogliphycum reris, ò hospes, in marmorea tabula pluribus litteris, magni effigie Piscis inscriptum? Nunquid debellatæ Prouinciæ trophæum, aut tributum Oceani superati? Proscribunt præfixæ tabulæ illud caput, quod propositam mensuram æquarit, aut vicerit: hoc sibi vendicant capitolinæ mensæ, ius Palatinarum assecutæ, quibus hæc erat sanctio. Ad Pallatinas acipensera mittite mensas. Piscis.

30 SYLLVRO.

STurio pone caput: Capitolia scandere debes,
Non odere caput grande, sed illud amant.

INsanum est statuas alloqui, sed meo nomini absonum videretur, non salutare Gentilem meum viuacis animi senem Caium Marium, qui sua toga inuolutus, nos descendentes applicitus parieti in flexu scalarum moratur. Porrigit adhuc nobis exertam cohibito brachio fatalem dexteram, quam nequiuit, vel fatorum inuidia præcidere, vel Syllana rabies auellere, vel temporis iniuria detruncare. Stat. Marij

STA-

31 STATVAE CAII MARII.

HAec ea dextra fuit Marij, quæ sola salutem,
Et veniam miseris plena fauore dabat.
Hæc manus hostiles poterat compescere motus,
Et Patriæ lapsum sustinuisse decus.
Debuit abscissà manus hæc superesse sinistrà;
Scilicet vt Romæ nulla sinistra forent.

Trophæa Marij.

EN signa Seruorum, aut Castoris, & Pollucis equos frænantium è theatro Pompeij eruta; en Trophæa eiusdem Marij, vt aiunt, quæ in area Capitolina stare conspicimus grandia simulacra vario contextu armorum conflata: & fas erat Capitolium pristinam remẽsus gloriam velificare immortalitati nominis Caij Marij, postquam Marianæ partes in Cæsarem transfusæ adhuc regnant.

32 DE TROPHAEIS C. MARII.

SVspice qui potuit Patriam sibi subdere Romam,
Integra cuius adhuc stare trophæa vides:
Vise Iugurtinos currus, Regumq; catenas,
Vise acies Cimbras, Theutonicosq; Duces;
Inspice tu Marij monumenta reperta per vrbem;
Plus mihi trunca manu denotat hæc statua.
Quid maius, quàm totum Orbem cumulasse trophæis,
Et simul in Patriam non habuisse manum?

Fimbria.

HOc vnum inter monumenta Marij non dolere non possum; quando duce Fimbria Roma-

manis armis, & ignibus circundedit rediuiuam Romæ parentem Troiam, quam funditùs non potuerant abolere nec Græcorum ignes, nec Deorum odia, nec Poetarum fabulosa tormenta.

33 TROPHAEIS MARII.

INtegra si posses Mariana videre trophæa,
Ilios, & fumans Troia videnda foret.
Fimbria dux Marij penitus deleuit, & vssit
Pergama ab antiquo non superata rogo.
Dum Danai Troiam tunica cinxere molesta;
Defuit extremæ Fimbria pars tunicæ.

DEscendimus è Capitolio sub arcu Septimij Seueri, & Sacram aspicimus viam, quæ rectà ducit sub fornice Titi. Stat adhuc triumphalis arcus, cum varia nominum, & victoriarum catastrophe, ictibus temporis non excussus; sed defluente sensim Capitolij limo sub terra ferè totus conditur; non secus, ac si oporteat Imperatorem stantem mori, & Imperatorium arcum stantem sepeliri. Arc. Sept.

34 AD ARCVM SEPTIMII.

SEptimij fornix lapsa fugitiuus ab Vrbe
Tendit ad Elysios semisepultus humo.
Parthica nempè sui domini prænomina seruat,
Moreq; Parthorum victor ab Vrbe fugit.

TRiumphantium currus de foro Capitolium ascensuri, flectebant ab hoc spatio, vbi nunc Cliuus Capit
am-

amplissimæ rotæ longis plaustris accommodantur. Protulerunt hæc secula vehiculis incrementum, vbi desierunt iugatos Leones, & altissimos Elephantes proferre. Cliuum Capitolinum, aut hunc eundem fuisse, aut vlteriùs protractum penès octo Columnas, per quem nunc bigæ ascendunt, puto, & si quis aliorsum trahat, libens descendo.

35 DE FORO ROMANO.

HIc vbi tam grandes currus, axesq; rotasq;
Esse vides, medij pars erat ampla fori.
Nempè triumphales abiere in plaustra Quadrigæ,
Quæ macer immissus sub iuga vectat equus.
Romano fortuna foro subiecerat Orbem;
Abstulit, instabiles supposiiura rotas.

Carcer Mamert. MOns iste Saturnius, in quo depulso suis sedibus Saturno regnabat Iuppiter, specum aperuit carceri Principis Apostolorum. Quærant alij an istud Tullianum sit, an priuata, an publica custodia; dummodò constet ignominiam huic loco detractam, & horrores carceris illustratos Petro impressa venerandi oris effigie in duris saxis, & inde educto fonte, quo custodes Processum, & Martinianum sacro salutis aspergeret sacramento.

36 DE CARCERE MAMERTINO.

SVb gemino custode senex Tarpeia colebat
Ista Mamertini carceris antra Petrus.

Mox

Mox custodito promptus se tradere custos,
Sanguine susceptam sanxit vterq; fidem.
Tam benè pro veteri nunquã arx seruata Tonãte est,
Quàm benè pro vincto proditur ipsa Petro.

HInc abeundi potestatem Petrus obtinuit, & huc iterum mutato Consilio rediјt: profuit hoc data libertas Petro, ne videretur nolens ad mortem duci. Super Mamertinum carcerem fundatur D. Ioseph memoria, qui custos Virginis sponsæ, custos pueri Iesu, custos hic apparet Petri custodiæ. S. Petrus.

37 S. PETRVS IN CARCERE.

HVc redeo liber resolutus carcere Petrus:
Sponte, nec inuitus te Cruce, Christe, sequor.

HAec planities frequentibus ruinis aspera Campus Vaccinus dicitur, tracto nomine à bobus in hoc mercatu venalibus. Magnam huius ingentis areæ partem sibi vendicasse conijcimus rostra noua penès Palatium, partem Romani fori, & Augusti penès Capitolium. Post rostra sepulchrum Romuli Varro statuit, vetera, an noua, non quæro; cùm talis sepulchri vestigium nusquam appareat, & gloriosiùs sit Romulo sepulchrum habere nullum, quàm Licino tonsori marmoreum. Cãp. Vacc.

38 CENOTAPHIVM ROMVLI.

ARdua marmorei moles hic nulla sepulchri,
Paruaue plebeij funeris arca manet.

Ar-

Argumenta tuæ perierunt, Romule, Mortis;
Conditus in templo vilior vmbra fores.
Quàm mendax tumulo reputatur Creta Tonantis,
Tàm mendax tumulo est, Romule, Roma tuo.

Forum August. ANgustum olim Augusti forum indicat D.Martinæ ædes, super ruinas templi Martis Vltoris, vbi Secretarium P.R. & Græcostasis excitata: vouit id templum Augustus in suo foro ob Cassiũ, & Brutum Romanorum vltimos in Philippis excisos. Egregium votum, vouere templa Romanorum Patri pro filiorum internecione, & in subsidium sceleris Deos inuocare.

39 RVINIS TEMPLI MARTIS VLTORIS.

FAna cadunt Martis: Brutorum fama perennis.
Mars vltor fueras; Brute, bisultor eras.

Tẽp.Mart. ITaq; Martem suo in sacrario Martina contriuit, eademq; suis fastis primum anni diem occupat, deturbato ab antiqua statione Bifronte Iano; hoc verò potissimùm tempore post tot secula nostris se visendam obiecit oculis; dum pictorum, & sculptorum collegia suo patrono Lucæ memorias instaurant.

40 D. MARTINAE.

* *MArtyrij gestans Virgo Martina coronam*
* *Eiecto hinc Martis numine templa tenet.*

An

An fugiat Mauors ad amati limina Iani?
Prima sed hæc eadem limina Martyr habet.
Proterit armatum Martem, Martisq; triumphos.
Virgo, premit geminum decapitata caput.

VEstrę artis figmenta hoc vobis, ingeniosi artifices, concedunt; vt qui lucis, & vmbræ misturas sectamini, nouam lucem inter sepulchrales vmbras inueniatis, & qui vestris animata vulneribus marmora exponitis admiranda, ijdem veris exanimata vulneribus corpora adoretis. Pictores.

41 DE INVENTIONE D. MARTINAE.

VIrgo reperta, quibus Lucas lucescit, & æquũ est,
Vmbras qui quærunt, corpus vt inueniant.

TEmplum Saturni, atq; adeo Aerarium P. R. fama pleno ore designat istud D. Adriani; & quis etiam vetat ærarium cum suo numine huc aliquando deductum, vel istud militare excitatum? quis certè asserat, an hic cōstiterit templum Adriani Imperatoris? translatus quidem est Romam primus exterorum Martyrum Adrianus, olim Diocletiani, & Maximiani decreto pedibus, & manibus detruncatus, Constantinopolim antè delatus. Aerarium.

42 D. ADRIANO.

QVod Constantinam Martyr Bithynus ad Vrbẽ
Penè triumphato Solis ab Orbe meat;

Quod Capitolinas idem procurrat ad arces,
Vrbs locat in fastus vtraq; læta suos.
Ni duo fregissent Adriano crura Tyranni,
Non poterat longas bis peragrare vias.

Sidrac. Mis. & Abd.

ET superba Babylon ab eodem campo, vbi turris Babel, vbi aurea Regis statua, vbi fornax altissimo igne succensa, hoc in templum transmisit tres illos Iuuenes, quos nec fumus irati Regis, nec flamma sui funeris commouit, vt statuam adorarét. Imò ijsdem in campis, in quibus facta est cófusio linguarum, in quibus Symphoniacorum concentus dissonis vocibus intonuerat, concordes ipsi distinctis in singulas nationes linguis, vnum Cœli terræq; Deũ, Dominumq; personabant.

43 DE TRIBVS HEBRAEIS IVVENIBVS.

ROma quid Isacides Pueros malesana Parenti
Obijcis, immundo qui vorat ore suos?
Scilicet illæsi rapido Babilonis ab igne,
Impia Saturni Patris in ora cadent?
Roma sed Hebræis æraria pandit ephebis:
Auro nempè probat, quos probat igne Deus.

SS. Marci & Mar.

MArcus, & Martha illustrium par coniugum è Perside cum filijs Romam venerant, vt suis opibus suppetias ferrent Christanorum turbæ sub atrocium pœnarum fasce fatiscenti: facti citò voti compotes Martha extra muros in puteum deiecta, & reliqua familia flammis absorpta hìc iacent.

SS.

44 SS. MM. MARIO, MARTHA, ET FILIIS.

Martha Parens puteo: Nati cum patre fauillis
Occumbunt, Persi sanguinis vna Domus.
O Persæ, non vnda Deus, non ignis; at ipse
Est in aqua vobis, est & in igne Deus.

Vasi appendices magni fori Cæsar, & Augustus suum quilibet forum extruxit: siq; D. Martina obtinet templum Martis vltoris, constat ibidem forum Augusti constitisse; forum verò Iulij post templa Pacis, & Faustinæ in primis faucibus Suburræ Parua quidem hæc fora fuerant, quia Cæsareus pudor nõ sustinuit extorquere proximas ędes possessoribus, quos oppressa Republica impudenter euerterat. **Forũ Iulij.**

45 FORO AVGVSTI.

Perdidit Augustus Dominos, Domibusq; pepercit;
Pluris quàm Dominos fecerat ergo Domos.

Sanctæ Mariæ de Angelis vna creditur è tribus celeberrimis Martyrum carnificinis. Siq; animæ mortuorum circa suæ mortis patibula vagantur, tam plenus Sanctarum spiritu animarum erit hic locus, vt hìc Maria tam Martyrum, quàm Angelorum Regina ritè prædicetur. **S. M. de Angel.**

46 SS. MARTYRES.

MOrs potior vita nobis in ſanguine noſtro;
Noſtra ſed in Chriſti ſanguine vita fuit.

For. Néruę AMpliora multò ſeſe oſtentabant fora Neruæ, & Traiani; forumq; Neruæ, quod prius Domitiani vocabatur, Tranſitorium dictum eſt, ob Ianum quatuor portis tranſeuntibus peruium: nunc & ipſum Neruæ nomen popularis lingua corrupit, & arcum fortè Neruæ conuerſum in ſtabulum, vocat Arcam Noę, vt nos etiam vtriuſq; ſenis acta comparemus.

47 FORO NERVAE.

NErua forum ſtatuit, ſtatuit fortaſſis & arcum,
Qui modò pro Neruæ dicitur arca Noæ.
Sed populi vox omen habet; nam clauſit in arca
Cuncta ſuperfuſo ſaluus ab imbre Pater;
Nerua ſed expoſitos fertur ſeruaſſe puellos,
Et pius humanum ſic reparaſſe genus;
Ille prior vites coluit, ſed turbida vina
Merſerunt, quem non ſtrauerat vnda maris.
Hic coluit vites, quas Flauius ante reuelli
Iuſſerat, & fortem perdidit ira breuis.
Ille repercuſſa miracula primus in Iri
Vidit, & expleto ceſſit ab Orbe ſenex.
Huic meruit quoniam totidem vixiſſe per annos,
Funerat extremum Sol ſine luce diem.

Gran-

GRandes Palatij Neruę parietes deseruiũt Domui, in qua Cathacumenæ primis nostræ fidei rudimentis initiantur. Insigne præsidium huic loco adstat D. Basilius, qui suum populum ab Arrianæ noctis caligine eduxit, & velut Columna ignis Cœli iter præmonstrauit. Pal. Neruæ

48 D. BASILIO.

IGnis in effigiem splendere Basilius olim
Visus, vt accensa magna columna face;
Venit in antiqui Neruæ monumenta Palati,
Viuida flamma Domo, firma columna foro.
Hinc hilares animæ pia fontis adite fluenta;
Vos puras sacræ reddet hic ignis aquæ.

QViricus Puer trimulus templo dignus est. Hũc in aspectu laniatæ Matris ad tribunal Præfectus allisit, factusq; è iudice carnifex, sui tribunalis gradus transtulit in scalas Gemonias. Ne mireris, ò Præses, qua ratione infans, qui Christum fari nequit, loquatur nutibus: nouit hæc ætas Christi fidem si minùs lingua, dentibus saltem mordicùs retinere. S. Quiric.

49 DE S. QVIRICO.

MOrdet Alexandrum puerili dente Quiricus;
Dens loquitur quidquid pãdere lingua nequit.

TRaiani forum Gigantum manibus ferebatur extructum; Tanta maiestas Basilicæ, trium- Forũ Traiani.

 pha-

phalis arcus, Imperialis palatij, totius ſtructuræ, & ſtatuarum. Hunc ſitum vicinis montibus, & ruinis obſitum neſciremus, ni locum indicaret ædes Virginis Lauretanæ, & columna Traiani deſtinata triumpho, & reſeruata ſepulchro.

50 COLVMNAE COCHLIDI TRAIANI.

TRaianus Orbis vltimos
Armis ſubegit terminos:
Vitam nec egit Cochleæ,
Si ſtat ſub alta Cochlide.

Domus Lauret.

NOuit Troianorum pietas ex Aſiæ incendio in Italiam transferre ſacra, Deoſq; Penates; nouit Romana potentia per vniuerſum terrarum orbem Colonias deducere. Sed B. Virgo humani inuenta ſuperauit ingenij, dum ſuam met domum, quę olim venientem in terras Deum exceperat, Angelorum manu per aerem tranſtulit è Nazarenis floribus ad Dalmatiæ ſiluas, ab Idumęis palmis ad Italiæ Laureta.

51 SACRAE DOMVI LAVRETANAE.

NVlli certa domus, domus oĩs noſtra locanda eſt:
Hæc manet in varijs ſola locata locis.

Forũ Suarium.

AScenſuri Quirinalẽ forum pertranſimus Suariũ, in quo Cereris victimæ vendebantur, & quas vmbra & cibo ſuæ arboris non dedignabatur Iuppiter, dignabatur plebs Romana fori commercio.

cio. Area huius fori patebat progressuris ad Pilam Tiburtinam, fontem versus Aquæ Virginis, & penès Ecclesiam, quam sibi nuper elegit Luca. Amplius esse noluit sine Romani templi decore Vrbs Libera, quæ Spartana virtute inter angustos fines speciosissimum Libertatis florem tuetur, & magno planè prodigio videt hanc suam Helenam Cycnis, & Aquilis custodiri, non rapi.

52 MONTI QVIRINALI.

LAetior assurgit septeno è colle Quirini
Collis adhuc alijs inuidiosus apex.
Aequa effert veteri pompæ sublimia tecta
Nuper in antiquum iussa redire decus.
Iam vernant horti, sua reddita fontibus vnda,
Iam sua delicijs redditur alma Venus;
Haud piget hunc montem proprij cum nomine templi
Fortunam Reducem sustinuisse Deam.

QVis nobis accendat faces, vt Solis templum in hortis Columnensium disquiramus? Templum Soli fundauit Aurelianus, illudq; auro, & gēmis, spoliata Orientis Regina, ditauit; sed nunc vbi est? si fundamenta nuper disiecta, & nobilis artificij paries erasus, vel eius templi fuerit, vel Senaculi Mæsę, in platea Quirinalis Palatij Pontificis aperiēda? Aemulus quidem aureo Apollinis currui aurigante fama per hominum mentes perpetuò circumuoluetur triumphalis ille currus, cui alligata Zenobia inuecta est inuicto animo triumphans potius, quàm triumphata. Tēp. Solis.

53 RVINIS TEMPLI SOLIS.

NEc Cytharæ fidibus ſibi cauit Apollo, nec herbis,
Vilis Apollineam ne premat herba domum.
Callidus extremas oras ſibi vexit in hortum;
Nulla tamen ſummam depulit herba diem.

Medius Fidius. IVrant per Medium Fidium, vbi Eccleſia D. Syluestri, fuiſſe ædem Medij Fidij. Nunquid trinomini muſa non annuat? & non reuereatur Syluestrum, qui ferè medius inter Pontifices, ferrea ipſorum ſecula diſtinxit ab aureis, & alba mitra ſubnexus trinam ſucceſſoribus Coronam præparauit?

54 S. SYLVESTRO.

HIc vbi Syluester, veteres poſuere Quirites,
Cum Sancti, & Fidij numine ſemipatrem.
Semipatres, & Semiuiri ſunt nomina manca:
Nostra Patrum patres integra Roma colit.

Palat. Pōt POntificalium munerum capax Palatiū in Quirini colle regia pompa Pontifices conſtruxere, vt quando æſtate Vaticanus aer ingraueſceret, lenirent inſalubres æſtus ad auras Quirinales. Vrbanus deniq; Octauus ſummorum Pontificum commoditati, oblectationi, & ſecuritati proſpiciens, Viridarij ſpatium ampliori protendit acceſſione, quam comparauit, hinc vallis imæ ſuperficiem attollens, collis inde ſummitatem deprimens: vt qui priùs in ſui admirationem mentes hominum traxerat, in ſui

pa-

pariter obſequium montes ipſos transferret. Areas verò additas aptè diſtinxit, irrigauit fontibus, & decenter excoluit; ſi pridem amæniſſimo ingenio Aganippæos latices nullo tempore defuturos in obuios fontes induxerat.

IN FONTEM MIRI ARTIFICII.

Card. Maph. Barb.

LArgior anguſtà primùm defertur in auras
Inde magis latà ſubſilit vnda vià:
Exprimit hinc patulum tenui cratera liquore,
Quid gelidam ſitiens non bibis, hoſpes, aquam?
Nam cui lympha ſitim mira non prouocet arte?
Ipſe calix lympha eſt, ipſaq; lympha calix.

EXtenduntur Quirinales horti per dorſum montis ad Capitolium vetus, ideſt Palatium verſus Barberinum. Et quemadmodum Veteres illi Patres, vitandæ Tyrannidis conſilio, non minus, quàm ex vno rege duos Conſules, ex vno Capitolio crearunt duo Capitolia; ita noſtri Principes ad Vaticanas Pontificum delitias, & hortos nouis Quirinalibus adiectis, viſi ſunt ipſum geminaſſe Vaticanum.

Capitol. Vetus.

55 DE VETERI CAPITOLIO.

CVr confuſa tulit Babylon Capitolia plura?
Multorum capitum Bellua grandis erat.

Riſi-

Thermæ Conſt.

RVinæ Thermarum Conſtantini, Corneliȩ Domus nomine vulgabantur, neq; hinc longè via Cornelia, & ædes ſacra Saluatoris de Cornelijs. Hùc albȩ circumuolitāt aquilæ in illius fortè ſubſidium, quæ ſibi coronam duplicare dum voluit, integram perdidit, & biceps à Conſtantino facta, vix vllius capitis in poſterum fuit.

56 PALATIO BENTIVOL.

STemmate Bētiuoli mutātur Balnea Flauij, (CA.
Cū iuuat VNGE, LAVA, ſin min⁹ VRE, SE-

Equorum ſtat.

INter ornamenta Thermarum Conſtantini, duo equi marmorei ſteterant, quorum pedes nouus nunc allabitur Hippocrene. De ſtatuis, & ſtatuarijs multi multa loquuntur, & inſpecta equorum, & domitorum effigie, iurant eſſe Alexandros, & Bucephalos. Quidquid ſit, mons iſte Caballus dicitur, fatum Romanis collibus non inſolens, vt Quirinalis nomen perdat ob impoſitos equos cum capite bouis, non aliter ac Tarpeius ob effoſſum caput hominis.

57 DE EQVIS ALEXANDRI.

SPreuit Alexander creſcentem vincere Romam;
Sed poſtquam dominum ſuſtulit aucta caput,
Venit marmoreus ſub Thermas Conſtantinas
Fræna ſui ſimulans flectere Bucephali;

Iamq;

Iamq; diù veterem domitans in agone Quirinum,
Romula victrici nomina calcat equo.
Gloria sed maior montis, certasse duobus,
Cedere Alexandris, cedere Bucephalis.

VBi Monasterium S. Catharinæ Senensis, fuerant balnea cum porticibus Pauli; fuerat Syluani ædes sub monte Viminali ad S. Bernardini, vbi prius hospitium S. Venerandæ, corrupto nomine dictum Veneris. Ingenti saxo Gallicanam compresserant, vt ab eius pectore Iesum exprimerent, per septem dies oleo incoxerant, vt crudam Virginem Dijs delinirent; sed pulchrior ab æstuanti balneo, vt Venus è Marinis fluctibus emersit, & è Cœlo improuisas elicuit pluuias, & voces ministras Baptismatis. **Balnea Pauli.**

58 S. VENERANDA V. ET M.

PArcite me Venerem Venerandam dicere gentes;
Nunquam Virgo Venus, nec Veneranda fuit.

SAnctorum Sergij, & Bacchi memoria penes arcum Septimij cessauit, penes S. Mariã de montibus stat altera, parua quidem, & propediem fortè cessatura. Spoliauerunt nobiles Viros militari chlamyde, & fœmineis circumdedere collobijs; & quæ alia personatis à martyribus celebrata Bacchanalia creditis, quàm lanienas, & verbera? **SS. Serg. & Bacch.**

59 SS. SERGIO, ET BACCHO MM.

BAcchus discerptus, laceratus Sergius; hæc sunt
Orgia non fictis vestra peracta choris.

Felicit. & Perp.

NObiles Puerperæ Felicitas, & Perpetua ad Cœlum euolarunt. Ambiuit lactea via Mauritano lacte conspergi, nec recusarunt sidera tingi Africana nigredine, quæ nostras vmbras suis orbibus identidem excipiunt, & lucis, tenebrarumq; discrimina quotidiè nobis instaurant. Maxima verò felicitas tua fuit, ò Felix, dum Maximum Nolę Episcopum tuis sublatum humeris ad suam Ecclesiam reduceres, ac Troiani pietatem filij speciosissimè renouares.

60 D. FELICI.

SI bonus est pastor, pecudem qui tergore portat;
Felix, pastorem qui gerit, optimus est.

S. Agatha.

SAncta Agatha in equo marmoreo Ecclesia est ab Arrianis contaminata potius, quàm ornata Meruit equestrem statuam Clœlia, quæ aquas vicit, & Agatha subditos ignes viua compescuit, & Aetnæ incendia sedauit è sepulchro. Vulneratum tantæ Amazonis pectus sanauit Petrus, vt tam pius Medicus appareret, dum mamillas restituit Virgini, quàm iustus vindex, dum seruo Pontificis auriculam amputauit.

EC-

61 ECCLESIAE S. AGATHAE.

VBera cui Siculæ desunt, domus ista dicatur,
Quæ fuerat fœdis contemerata Gothis.
Hanc tamen Vrbani proceres cum ritè piarent,
Fugit, vt è stabulo sus lutulenta suo.
Non igitur superis erexerat Arrius aras;
Impius at porcis strauerat auctor haras.

TRanslata hùc Adriæ,& sociorum corpora,quibus & Maximus scriba olim, & Inquisitor Martyrum adiectus est: occasio mortis tot innocētium hæc erat: impatienter ferebat Aula,ijs opibus Christi pauperes pasci, quibus appetebat ipsa saginari. **SS. MM.**

62 S. AGATHA.

VBeribus sectis patuit mihi pectus apertum:
Detegitur melius Cor tibi, Christe, meum.

VEstinæ titulus Ecclesia est S.Vitalis in valle Quirinali,vbi templum Fortunę Publicæ iuxta Quirini, vbi Romulus apparuit Proculo. Prouidus Pater familias Vitalis, Geruasij, & Protasij Pater, & Valeriæ coniux sic suam disposuit domū, vt Romulo Vrbem condenti nō inuideret: sustinuit in fossam non aliter ac in Olympum viuus inferri, vt æterna suæ domus fastigia ad Cœlos eleuaret. **Templum Quirini.**

S. VI-

63 S. VITALI.

PVblica Martigenæ iuncta est fortuna Quirino,
Mœnia cui Romæ ponere prima datum est.
Sed tibi, Vitalis, melior fortuna rependit
Martyribus plenam, coniuge, prole domum.
Fortunate senex, memoret sua turba Quirinum,
Sitq; Pater Patriæ, qui malè frater erat.
Publica sors alios, tua te priuata secundet,
Non minus est Patriæ, quàm Pater esse domus.

S. Vitalis. AIunt Quirini templum arcano consilio semper clausum, neq; istud sanè semper est apertum: geminis enim impenetrabile portis, nec minima curiosis oculis rimula reseratur. At permitte, hospes, Vitalis nomen in mentem vocet Vitalem, & Agricolam, seruum & Dominum conterraneos, & ciues meos martyres præclarissimos, quos amicus vates hoc insigni benè signauit elogio.

SS. VITALI, ET AGRICOLAE MM.

Bern. Bensign.

SAnguinis vt sacri ferrent tibi Christe racemos,
Hi duo certarunt Vitis, & Agricola.

Quatuor Font. AD Piam ascendimus viam, & per quadriuium quatuor fontium descẽdimus ad nouum Palatium, & hortos Barberinos, regio fastigio Circũfloræ, & Capitolium vetus amænissimè comple-

xos.

xos. Non muneris noſtri eſt, in hortis Floræ odoratam florum familiam deſcribere; ſiue enim ſorantibus gemmis aſperſi, deducto decenter ore natalitijs cum lachrymis erumpant in lucem, ſiue biantibus ſemper labris dum viuunt rideant; oriuntur, & viuunt, vt Apibus ſeruiant.

64 CIRCO FLORAE, ET VET. CAPIT.

FLoreus eſt Floræ circus, Capitolia florent,
Hic vbi vos vobis nidificatis Apes.

FLorum chorus omnis aſſurgit ſuo Regi, qui coronatum Chriſti doloribus caput extollit, vt noſtris in areolis nomen perennet Nazareni. Venit nuper ab India, ſeu potiùs è terreſtri Paradiſo, exortus è ſeminibus in terram delapſis, cùm Pater Adam vetitum comederet pomum. Latitans inter virides foliorum fibras ſalutare ſalutis noſtræ ſignū agnouit bonus ille Phyllirides, qui noſtras Muſas ad Apollinis ſacra promouit, Crucemq; ſatellitio mortis ſtipatam eò magis conſpicuam reddidit, quò minus apparebat. **Flos Indię**

DE FLORE INDICO.

Franc. ScorZiæ Soc. Ieſ.

SIc inculta Dei meminit natura dolores,
Vt Crucis in multo ſtigmata flore notet:
Non deſunt claui, non deſunt ſpinea ſerta,
Nec ſacer à quino vulnere ſanguis abeſt.
India, ne paucos dicas Crucis eſſe Magiſtros;
Pullulat in medio ſpontè Magiſter agro.

No-

Concept. NOuam ſalutamus Conceptionis nomine Eccleſiam, in qua ſuos fratres Franciſcus, vt phalangem Macedonicam ſacræ militiæ ſago veſtijt, nihilq; illis reliquit præter ſpem diuinæ liberalitatis. Præcinxit illos fune, vt ſuperbiam eliderent, nudauit pedes, vt ſeculi illecebras proximiùs proculcarent. Hoc armorum genere pugnant, & auxiliaria virtutum agmina exorant è Cœlis, dum vitiorum capita terunt in terris.

65 IMMACVLATAE CONCEPT. B.V.

COntriuit colubrum mulier, ſuperauit abyſſum.
Virgine concepta nunquid abyſſus erat?

Aqua fel. REgredimur, & vergimus ad fontem aquæ Felicis. Hanc Sixtus V. per aquæ ductus Claudiæ in Vrbem reduxit; imitatus eſt Moſem, qui disiunxit maris aquas ab aquis, & vitæ debitor Niloticis fluctibus, ingentia in aquis operatus prodigia, ſaluberrimos liquores induxit, vbi erat ſicca durities.

66 STATVAE MOSIS AD FONTEM.

NOn eſt Actæon, ſed Moſes accola fontis,
Cornua qui viſo cœpit habere Deo.
Fregerat Ammonem tenero puer vngue bicornem,
Mox vetuit vitulum creſcere fronte bouem.
Odit adoratum Pharijs vlulatibus Apim:
Nunc lacrymas inter fontis adorat Apes.

Ap-

APparet in angulo Thermarũ Diocletiani conſpicuo nitore collocata D. Bernardi memoria, nec procul hinc antiquiſſimæ domus, & Tituli Pontificis Caij veſtigia renouantur. Diuiſerat B. Pontifex Vrbem in ſuas regiones, illiſq; miniſtros aſſignauerat, interea propriæ domus iacturam paſſus, niſi noſter Pontifex & ruinæ tituli,& Pontificis nomini munificentiſſimè occurriſſet. Therm. Diocl.

67 S. BERNARDO IN THERMIS.

IN Thermis habitas: coleris, Bernarde, decenter:
Næ tibi mundities ſemper amica fuit.

68 SS. CAIO, ET SOTER. PP.

CAius, & Soter: Romæ lux veſtra ſecunda:
Lux eadem vobis vltima, prima mihi eſt.

VRbanæ Saluſtij Delitiæ hinc ad mœnia extẽtendebantur, Horti, Fontes, Palatium, Circus, Veneris templum. Nobiliſſima Virgo Suſanna cum Patre Gabino ſuamet in hac domo pro Ioue inexorata, gladio tandem percuſſa. Laudet Iudæa Suſannam, quæ maluit vitæ & famæ ſubire periculum, quàm pudoris: Hanc illi præferet Roma, quæ ab Imperatoris thoro ad capitale ſupplicium deducta, vt datam Chriſto fidem ſeruaret, elegit potiùs Virgo mori, quàm viuere Imperatrix. For. Saluſt.

69 S. SVSANNAE.

AD Felicis aquæ fontes, hortosq; Salusti
Incolis antiquos, Virgo pudica, lares.
Ad fontes etiam Susanna resederat olim,
Inter amatores inuiolata procos.
Illa sed in flammas gelidos præmisit amantes,
Tu Cœlum gemino cum seniore petis.
Purpureis Venus ergo procax se iactet in hortis;
Pulchrior in proprio sanguine, Virgo, rubes.
Nobilius, quàm spina pedes Genitricis Amorum,
Cor tibi transfixit vulnere diuus Amor.

S. Felicit. IAcet in hac æde Felicitas Romana Martyrum Martyr: accessit octaua septem funeribus filiorum, in singulis ne superaretur extimuit, tantùmq; grandem animam per mille suorum viscerum vulnera non efflauit. Præseferebat felicitatem nomine, & numero expleuit beatitatem.

70 S. FELICITATI MARTYRI.

FElicitatem quæris, en Felicitas,
Beatitatem poscis, en Beatitas;
Nec ante mortem talis est, quæ subditur
Octaua septem filiorum mortibus.

Michęas. ET Michæas suis hic leipsanis colitur; an ille, qui Babylonias cum lacrymis catenas præuidit, an qui solus è quadraginta Prophetis verum regi nunciauit, non quæro: parùm enim distat, an captiuus

quis

quis ſub Rege barbaro è cataſta ſeruiat, an ſub Iſraelita præcipitio ſuccumbat.

71 DE S. MICHAEA P.

QVod grande ſcelus egit Propheta Michæas,
Vt præcipitium meruerit? Loqui verum.

TRanslata hùc SS. MM. corpora Eleutherij, & Geneſij. Excuſſit riſum è ſeueritate Diocletiani Geneſius, dum è ſcena proclamaret ſe Chriſtũ profiteri, vt fugitiuus inueniretur: ea enim eſt Innocentiæ fuga, vt fugitiua capiatur. Quid tum, cùm albis indutus noſtræ fidei candidatus apparuit, mox reuoluta ſcena, & peracto Baptiſmate Idola pedibus proculcauit? Deſijt Mimus in Tragœdiam, quę ab attonitis ſpectatoribus lacrymas, ab Imperatore iram, ab actore vitam extorſit. S. Geneſ.

72 S. GENESIO.

QVid eſt lucratus Hiſtrio Geneſius,
Dum Chriſtianos per iocum traduceret?
Aquam recepit, & refudit ſanguinem.

ELeutherius ſuperuixerat exſtremis, quę certatìm ingerebantur, tormentis; Eluſerat Vulcanum & Palladem totis viribus ſæuientes, alligatus quadrigis non diſcerptus, inter ſyluas hominum crudelitati ſubtrahebatur, feris obiectus in theatro, reperit Leones quadam naturæ transfuſione induiſſe naturam, quam exuerant homines. Hærebat Im- Eleuther.

peratur, & verebatur, ne adhùc post securim in Antia pia Matre viueret, quam protinus iussit interfici. Sic illa, quæ suo lacte Cœli viam filio præsignauerat, purpuream reperit, dum præeuntem filium sequeretur.

73 DE SS. ELEVTHERIO, ET ANTIA.

Ergo ne viuet adhùc in Matre? occidite Matrē,
Si prius in nato vixerat illa suo.

Mamurius FAber Anciliorum Numæ Mamurius, cælestis doni imitator egregius, hìc sui nominis vicum, officinam, domum, & statuam plumbeam, non leue sui laboris pręmium recepit. Nunc S. Mariæ de Victoria recens templum visitur, vbi stat Icuncula B. Virginis è Germania translata, ibi ab Hæreticis excæcata: sed erutis oculis pugnantia Imperatoris agmina feliciter aspexit, & è nouo templo supplicē Romam assiduè intuetur.

74 S. VIRGINI DE VICTORIA.

Virginis effigies nòn excæcata feratur,
Quæ collata sibi munera tanta videt.
Non es cæca, Dei Mater, cui filius hæret;
Est pupilla oculis Pupulus ille tuis.

Gigantes. E Conditiuo in hortis Salustij, Gigantum ossa extrahebantur. Speciosum, & fallax miraculum ingerebatur posteris, veteres Romanos gigãteas vires, & animos paribus membris exęquasse.

DE

75 DE CONDITIVO GIGANTVM.

COrpora magnorum quæſiuit Roma Gigantum:
Quidquid erat magnum, noluit eſſe procul.

AD Thermas Diocletiani ſtabat Domus Cyriaci ab Imperatore donata, Baptiſmate conſecrata, & Præſidis profanata lauacro. Ad grandes Thermarum teſtudines accurrere Monaci Cartuſiani, ſuas ibi inuenere, & fecere delitias, quales in hortis Dalmaticis non reperit Diocletianus. Hæc ergo ſpatia, quæ populari ſtrepitu perſonabant, muta ſilent, ni Dei laudes identidem reſiliant. Therm. Diocl.

76 THERMIS DIOCLETIANI.

NOn ſe Virgo lauat, nec egent cæleſtia Thermis;
Sordibus hæc noſtris balnea conueniunt.

SVſpiciendus eſt locus iſte in cuius ædificatione tot martyrum manus inſudauere, vt caracteres Crucis lateribus impreſſi declarant; ſuſpiciendus eſt locus, cui Virgo, & ſeptem Principes Angeli præſunt, & quaſi totidem lampades perpetuò illucent. Angeli.

77 S. MARIAE DE ANGELIS.

XYſta, lauacra, lacus, Nymphæa, Vmbracula, Sylnas,
Vrbs hilari populo munera læta dabat.
Tandem ſacra Cohors venit, licet aſpera Mundo,
Viſa tamen Domino delicioſa ſuo.

Quin superùm Domina residente hic Virgine fiunt
Deliciæ Domini, quæ fuerant populi.

Mons Vimin.

MOns Viminalis velut inter Quisquilias reiectus Exquilijs subdebatur, & nunc pariter substat eidem monti dicto S. Mariæ ad Niues, vel S. Petri ad vincula. Coluit ædicula fortunam paruam, nec amplitudine caruit haud pœnitenda, cuius dorsum hinc compresserat pars vasta Thermarum Diocletiani, inde grandes horti Mecœnatis; sed vtrunq; sibi vicinitas montium adiudicauit.

78 COLLI VIMINALI.

NOs quoq; cum reliquis septenam fecimus Vrbē,
Quamquam nos Cæsar subdidit Exquilijs.
Et licet extiterim Dominæ pars libera Romæ;
Sorte catenatà nomina serua tuli.
Vimina viminibus connexa ligare solebant
Vincula cum vinclis consociata ligant.

Therm. Olymp.

VBi Thermæ Olympiadis? Palatium Valeriani? Lauacrum Agrippinę? certè ni Vimineus Iuppiter hunc sibi collem viminibus benè distrinxisset, vt statua Dędali malè alligata auolasset. Thermas Olympiadis ponunt in Cœnobio S. Laurentij, Lauacrum Agrippinæ sub eodem templo, quà collis decliuis est in Quirinalem inscriptorum marmorum authoritate grauissima suffulti.

De

79 DE LAVACRO AGRIPPINAE.

COnde nouum moriturę Vrbi Agrippina lauacrũ;
Quam tuus incendet filius, vnge, laua.

DOmus Pudentis in vico Patritio est Ecclesia S. Pudentianæ. Constans fama est præclarissimum Senatorem hac sua Domo Petrum excepisse; prolem sortitum egregiam, Nouatum, Timotheum, Pudentianam, & Praxedem; coniugia sanctissima, Sabinellam, mox Claudiam. Fama est hìc primum missæ sacrificium celebratum, cuius rei index ostenditur lapis, super quo Petrus fecit. Itaq; hic locus à Pio Pontifice erectus in titulum Pastoris, & sacra Metamorphosi translatus è Thermis Nouati in fontem Baptismatis. **Domus Pudent.**

80 DOMVI PVDENTIS.

TV Romane Pudens, tu Scotę, Claudia, gentis
Pontifici primum panditis hospitium.
Fortunati ambo, quorum Domus hospita Petro
Tutus erat Portus Nauis Apostolicæ.
Claudia Vestalis Numen, Nauemq; recepit
Cæpit Nauiculam Claudia, Petre, tuam.

SI Claudiam duxit Vxorem Pudens, ex quo iussu Claudij exulabat in Britãnia, poeticum musę condonemus Anacronismon: siq; Pudentis filij viuebant temporibus Pij, fatendum est vltra centesimum annum vitam ipsis prolatam. Collegerunt **S. Pudent.**

ſacrę Virgines Pudentiana, & Praxedes primas Eccleſiæ roſas, & toties ſuis ceruicibus imminentes ſecures expauere, quoties viſitarent fugitiuos, aut comites animarent ad necem, aut poſt mortem oſſa, & ſanguinem conderent.

81 ECCL. S. PVDENTIANAE.

DEdita tota Deo domus hæc, Natiq; Paterq;
Qui ſuperas ſedes, vel ſine cæde, tenent.
Sparſa quidem diuo legerunt oſſa cruore,
Impleruntq; ſuam martyre, morte domum.
Sed qui adeò ornarunt alieno ſanguine Templum,
Immunes proprio maluit eſſe Deus.

S.Laurent. DIes eadem, quæ ſub Rege Babylonis, deîn ſub Tito, Hieroſolymæ templum incendio conſumpſit, hic pariter combuſſit Laurentium nobile Dei templum: par fermè vtrinq; occaſio, vt in calidis cineribus theſauros miles ſcrutaretur. Palatium Valeriani, vel Decij quis hìc ponat? ſat enim eſt extinctos Laurentij carbones ſacris virginibus cuſtodiri viuaciùs, quàm flammas à Veſtalibus inextinctas.

82 S. LAVRENTIO.

HIc ſtrepuit Iuuenis generoſus in igne Tyranno,
Ceu data Mulciberi laurea ſylua crepat.
Vobis, Virginei cætus, veſtigia flammæ
Liquit, vt accenſo corde triumphet amor.
Ardeat his flammis, nullos horrete timores,
Dum foueat veſtros hæc ſacra Veſta focos.

Al-

ALmachium Coniugem Vrbis Pręfectum post imperatas cędes à Dæmonibus abreptũ cõtemplata Marmenia, ad Christum ab Idolis transfugit. Crispinus, & Crispinianus Romani Ciues in Gallias perrexerant, ibi calceos, & ocreas consuebant. Nouitatis curiosa Gallia confluebat ad exteros, qui pro calceis dum loquerentur Christum, in corrigias disciſsi, & obtruncati hìc iacent. S. MM.

83 SS. CRISPINO, ET CRISPINIANO MM.

IN ligulas cur sciſſa cutis sutoribus istis?
In manibus quoniam pellis, in ore Deus.
Hoc suprà crepidam sapitis, dum nescit vterq;
Intrà pelliculam se retinere suam.

ET quis non rideat, dum videt euersis Patritiorum domibus, superextructis vilibus tugurijs, suffarcinatas centonibus varijs insistere Aegyptias? illas met quę sibi fatale reputant rapto viuere, & inspecta manu, Parcarum instar sortes, & fata suæ artis ludibria, credulis dispensare? Vicus Patritius.

84 DE VICO PATRITIO.

ECce iterum Aegyptus Cleopatras armat, & vrget
Barbara Romanos fœmina Patritios.

IN hoc eodem vico inter Viminalem, & Exquilias visebatur ædes Hippolyti custodis Laurentij, nunç dicitur Ecclesia S. Laurentij in fonte, ob Laurent. in Fontę.

aquas

aquas in Baptiſmum Lucilij cælitus ab Archidiacono excitatas; & renouatus iſte carcer his temporibus longis literis inſcribitur. Locus Aulicorum commodo reſeruatus.

85 S. LAVRENTIO IN FONTE.

CLauſus in his latebris flammarum victor Iberus
Traxit ad Imperium viua fluenta ſuum.
Exiluere noui ſacra in Baptiſmata fontes:
Roma quid Heroum grandia facta refers?
Scæuola ſi flammas, ſi vicit Horatius vndas,
Hic ſimul & flammis, & dominatur aquis.

S. Euphem VEtus memoria S. Euphemiæ defecit in via aperta ab Exquilijs ad Forum Traiani, & altera exſtructa eſt. Hanc Virginem nulla tormenta violarunt, nec Iudicis procax manus impunè attigit. Imò diù Virgo ſanguinem exudauit è ſepulchro, vt appareret etiam poſt mortem ob impudentiam Iudicis longiſſimo rubore perfuſa. Puteus D. Probæ dictus iuxta ædem S. Mariæ in campo oſtendebatur; at cuius Probæ fuerit, non explicant, nec vllam huius nominis in Romano Sanctarum albo perlegimus.

86 PVTEO D. PROBAE.

QVære Probæ puteum; non audeo dicere Diuam,
Nam Sanctos inter fœmina nulla Proba eſt.

Aedes

AEdes vero parua S.Laurētij ad macellum coruorum indicat victoriæ locum Valerij Coruini. Expungit Hiſpanus Gallum; quis enim vetat, Valerium tam benè dici Coruinum victoriam ſuggerente Coruo, quàm Gallicum occiſo ferociente Gallo? Coruinus.

87 DE MACELLO CORVORVM.

HOſtis erat Gallus Coruino, Coruus amicus,
Vinceret vt Gallum, nigra coegit auis.
Quod dabis, Vrbs, Coruo tali pro munere munus?
Da veniam Coruis, Corue, macella cole.

COnſedere Sabini icto prius cum Romanis fœdere in vico Cyprio, qui à ſacra via bono omine exortus ad Virbium cliuum execrandus finijt. Iacuit igitur ante cliuum, quem vides, trucidatus Rex Seruius, quando filia, ſororis, viri, & Patris cædibus ferox, reluctantes equos ſuper Paternum corpus ire compulit, vt ſceleratum iter ſterneret nouo Coniugi, hac via dotale Regnum, & Regiam ſuperbiſſimè inuaſuro. Cliuus Virbius.

88 DE VICO SCELERATO.

NAta coegit equos per Patris pectora; vicus
Nomen habet ſceleris; ſed fuit ipſa ſcelus.

REgia Seruij Tullij ſupra cliuum ſteterat, illic fermè, vbi nouæ ædes D. Franciſci de Paula proximæ Petri vinculis conſtruuntur. Clarum Ser- Regia Seruij.

uij caput diuinus ignis circumfusus protendit serui-li nomine, & Regia appellatione perplexum; & Franciscus lumen rebus nostris dubijs futurum fornacis igne circumfulsit, maximorum operum prodigia, Minimorum inscriptione compressurus.

89 REGIAE SERVII TVLLII.

CVria regalis locus hic, carcerue catenis?
Rex est, cui libeat talia vincla pati.

Thermæ Titianę. IAm tenemus Exquilias, excubias vbi Rex Romanus habebat. Super Tullij Regiam temporis vicissitudo Thermas Traiani, seu Titi, & Eudoxia Augusta Petri catenas collocauit. Vinxerat harum altera Apostolorum Principem sub Herode Hierosolymis, altera eundem Romæ distrinxerat, & paris officij memores propiores factæ improuiso miraculo in amplexus mutuos cucurrere.

90 DE VINCVLIS S. PETRI.

SPontè resoluuntur, sociantur spontè catenæ,
Quæ fuerant Petro nil nisi pondus iners.
Petre, tuas redimant hæc sacra ligamina claues,
Nam vim soluendi vincula vinctus habes.
Cuncta licet soluas, quo nolles deniq; ductus,
An poteris clauos soluere claue tuos?

Septē Machab. SEruantur hìc preciosissimi cineres septem Machabæorum, quos Antiochus polluto Hierosolymæ templo frustrà tentauit exquisitis cruciatibus euertere, frustrà oblatis muneribus profanare.

SS.

91 SS. MACHABAEIS.

HOs ſeptē Antiochus Pueros cū Matre trucidat:
Vnum ſi templum polluit, octo ſacrat.

COntrà viſitur marmoreū ſepulchrum Iulij II. cineribus deſtinatum, egregia Moſis effigie conſpicuum. Adſtat adhùc parieti aræ magnæ oppoſito antiquiſſima effigies D. Sebaſtiani, cuius exorato numine errabunda peſtis defecit, alatis D. Martyris ſagittis citò transfixa. **Sep.Iul.II**

92 SEPVLCHRO IVLII II.

NOmine poſt primum, nec primo, vlliuè ſecundus,
Armiger Exquilijs Iulius oſſa vouet.
Nempè Sacerdotum caput inſuperabile bello,
Hæc loca regali ſede ſuperba legit.
Mortuus an cupiat Petri ſubſtare catenis,
Ne trepidet iugi ſubdita terra metu?
Hiſcere Roma nequit, Moſen imitatus, an Aron
Vixerit, id poſito marmora Moſe docent.

SEptem Salæ vulgo dictæ ſunt Piſcinæ limariæ depurandis aquis Thermarum Titi olim deſtinatæ. Amplexatur terra ſtructuras ſuas, & quaſi ſuos partus interiore ſinu arctè cuſtodit, quæ nimbis, & fulminibus altiùs expoſitæ concidiſſent. **Piſcinæ limar.**

93 SEPTEM LYMPHAEIS.

EN Lymphæa Titi dimiſſa ſub intima terræ;
Sed Titus his terris intima Cordis habet.

Ther-

Martis ædes. THermæ hùc olim excurrebant Traiani, an verò Martis ædicula, non constat; Titulus sanè antiquissimus Equitij cessit D. Martino olim Equiti, dein Martino Pontifici. Pontifex Martinus à perfido Iuliano, vt ab altero Theseo in insula Naxo expositus propitiùs Cœlum, quàm homines repe-rit, ab his enim mortem; sed debitam suæ fidei Coronam è Cœlo retulit.

94 D. MARTINO IN THERMIS.

OMnia tradideram miseris Martinus egenis,
Solaq; pars tunicæ scissa superstes erat.
Algidus excipior Thermis; sed cedo vicissim
Martyribus tumulum, Pontifici titulum.
Grãde quid Augusto est, diuisum cum Ioue Regnum;
Vsq; meam tecum diuido, Christe, togam.

Fabian. P. FAbianum Pontificem columba designauit, & Pontificum primus primitias Cæsarum legit, viditq; fasces, & Aquilas suæ columbæ submissas; dum breui serenitate Christianis exorta duos Imperatores Baptismate aspergeret, & infaustum Romanis nomen Philippos puros faceret. Asterius, & plures Christi Martyres sub vmbra D. Martini requiescunt, cuius dimidio pallio inuolui nec erubuit Christus.

95 S. FABIANO P.

INsidet alba tuo capiti, Fabiane, columba;
Protinus & felix crederis arca Noæ.

Inde ſacro geminos aſpergis fonte Philippos,
Iris & è medijs orta videris aquis.
Quidquid Pontifici potuit ſe promere primùm,
Fœderis arcus habes, fœderis arca tenes.

DVæ Luciæ Siracuſana, & Romana, Virginitatis, & Viduitatis ſtola conſpicuæ, illuſtres luce Martyrij, duo luminaria diei, & noctis, præſunt huic ædi priſco vocabulo dictæ, in ſilice, & in Orphea. Traxerit Orpheus feras, & ſaxa cantu; Hæc Virgo mille boum iugis immota reſtitit, Vidua lapidatores ſuos in ſaxa mutauit, Leo III. in ſubiecta cauerna hydrum compeſcuit. **S. Lucia.**

96 DD. LVCIIS.

DAt tibi firma ſilex nomẽ, dat nomẽ & Orpheus,
Virgo, trahis reliquos, nec potes ipſa trahi.
Lucia dum lapidum petitur Romana procellis,
Qui iecit ſilicem vertitur in ſilicem.
Græcia vix credat, quæ Virgo immobilis egit,
Quæquè manu carnis ſaxea dextra notat.

HIc ergo vidiſſes Orphea lubricum fontanis aquis, altum vincere tramitem Suburræ: nam quà ſpectat antiquus paries Thermarum fortè Traiani, longo tractu excurrebat ſuper cloacam maximam Suburra: recondebat ſuo viſcere ſaginatos piſces, proferebat è ſinu venales fructus, paſcebat gremio lupas mercabiles. **Suburra.**

FON-

97 FONTI SVBVRRANO.

ORpheus excelſam rigat vdo fonte ſuburram;
Ecce ſuburranæ prandia veſtra canes.

S. Praxed. INgens Martyrum Conditiuum eſt titulus Praxedis: non aliam quæras Libitinam, cum ſola hæc Virgo mille funeribus ſufficiat. Effodit Praxedes puteum in ariditate montis, vt aquas ex oculis noſtris eliceret, dum illùc tot martyrum reponeret ſanguinem. Paſchalis verò Pontifex iuxta puteum plures martyrum Myriadas ab extramuralibus cryptis aduexit, vt ſi minus animas, & vitam, ſuum ſaltem ſanguinem mortuis oſſibus quodammodo reſtitueret.

98 SS. MM.

SAnguinis ad puteum conduntur corpora: nunquid,
Vt ſua vicinus ſanguis in oſſa fluat?

Põtian. P. MVlti Pontifices hic requieſcunt, quibus præfulget Pontianus, & Cæleſtinus. Pontianus in Sardiniam deportatus celebres Sardorũ purpuras non auxit ſanguine, ſed more illius Inſulæ emeritus ſenex defecit ſub fuſtibus. Cæleſtinus Chriſti Matrem Dei Matrem eſſe ſanciuit, vt filius Diuino crederetur obfirmatus ſtabilimento, cuius Mater apicem Diuinitatis attigiſſet.

99 D. CAELESTINO P.

CAeleſtine, Dei Matrem tu primus adoras:
Non ſine Patre datus, nec ſine Matre Deus.

Præ-

PRæeminent Martyribus Nicomedes, Iuſtinus, Zeno. Virginibus Baſiliſſa, Iuliana. Sed quis mille nomina martyrum? quis mille nocendi artes enumeret Tyrannorum? diſtrahitur ille in eculeo, & omnibus diſtentis neruis neruoſior factus, gratam Deo Chelym iungit; comprimitur alius pondere, & corpore quaſi alieno, & ſuperuacuo circũdatus ſurſum animo extollitur; hic vnco trahitur, alter appẽditur trunco, igne vnus conſumitur, alius mergitur fluuio, hìc ſaxis atteritur, ille ferro transfoditur, Zoa vxor Nicoſtrati capillis appenſa fœtore ſuffocatur. **SS. MM.**

100 S. ZOAE M.

ERgo nè ſolus odor potuit diſpellere vitam?
Non ne ſumus Chriſti nos quoq; gratus odor?

ET quis ad tantarum ſpectacula cædium innocentes dixiſſet, quos tam atrox pœnarum ſeries noxios faciebat? & tamen innocentia, quæ aliàs latere potuiſſet, inter ipſas pœnas agnita ſtabiliuit hoc dogma, Calamitoſam virtutem anteponendam felici. Iſtud vix lapſus in terras Deus vagitu, & lacrymis profeſſus eſt, Innocentium ſtrage vulgauit, ſua morte concluſit, & amicis æterno reliquit teſtamento. En immenſæ Seruatoris noſtri patientiæ index columna, cui alligatus viliſſimi ſerui notas ſuſtinuit. **Columna flag.**

101 COLVMNAE FLAGELLAT. I. C.

VT lubet antiquorũ operũ monumenta videntor,
Et miræ lapidum suspiciantur opes;
Sola meos oculos animumq; columna moratur,
Praxedis parua quæ stat in ædicula.
Alba lapis mœsto variat sua signa nigrore,
Sanguineis olim vermiculata notis.
Hæsit marmoreo trunco, pressumq; sacrauit
Corpore perpessus nostra flagella Deus.
Pronus in hoc saxo metam mihi figo supremam,
Hic desiderijs terminus esto meis.
Si me de Cœlo mea fata, & facta repellant,
Huius ego saxi Sisyphus alter ero.

S.M.Maior BAsilicam S.Mariæ Maioris lineauit sibi Deipara cœlitus demissa niue; & quæ puriores poterant lineæ duci, & fundamenta disponi? Paulus V. extructo Regia pompa Sacello collocauit imaginem Virginis, ad quam orante Gregorio cessauit pestis, ritèq; tum primùm inuocauit D. Pontifex Reginam Cœli, quæ tantum posset apud summum regem, vt tribus libratis fulminibus iustè opponeret suas niues.

102 S. MARIAE MAIORI.

EXcubiæ Regum steterant, vbi Regia Virgo
Nostra salus fidas seruat in Vrbe vices.
Iuppiter oppressa pro turri fulmina iactet,
Ianus agat calidas impete fontis aquas:

Cum

Cum volet iſta polum, terramq; armabit in ignes;
Cum volet è gelidà proferet arma niue.

ALterum Sixtus V. huic oppoſitum non impare forma ſacellum extruxerat, in quo repoſuit præſepe,& incunabula diuini Infantis. Harum agitatione cunarum eò diligentiùs ſatagebat ſedula Mater mulcere vagitus Dei naſcentis, quò acriùs præuideret validos clamores, & lacrymas,quas attemperare non poſſet morientis. Præſepe.

103 S. MARIAE AD NIVES.

DIua Niues, & frigus amas, quæ tempore brumæ
Fundis ab intacto viſcere, Virgo, Deum.
Virginei pariter cunabula conſcia partus,
Quæris ad Exquilias conſociare niues.
Sub niue ni lateam tua dum præſepia luſtro,
Non Rex, non Paſtor, Bos, & Aſellus ero.

DIuum Matthiam in locum proditoris electum Iudæa, & Lapidibus, & ſecuri, duplici tormento percuſſit, cùm alterutro potuiſſet extingui. Non tam lentè iaciebat Hebræus ſaxa, vt ſola non perimerēt, nec tam blandè vibrabat ſecurim, vt ſola non occideret; ſed geminata pœna, & gloria potiri debuit Matthias, ne fortè periret altera palma, Iudæ ni cecidiſſet deſtinata. S.Matth.

104 D. MATTHIAE.

SOrs ſuper hunc cecidit; Iudas de fune pependit.
Pendula de trabe fraus; pendula ſorte ſalus.

Brachia SS. Matth. & Lucæ. MAtthæus, & Lucas Euangelij ſcriptores ſua brachia dicarunt Virgini; Matthæus, cuius verbo prȩualuerunt apud Regiam Virginem thalami cȩleſtes regalibus nuptijs, ſuper altare ipſum Virginitatis victima transfigitur; Lucas Deiparæ comes eximio puritatis candore ad canitiem deductus, trunco Palladis appenditur; vt extremos adhuc ſpiritus non niſi in vmbra Virgineȩ arboris expiret.

105 D. LVCAE.

VIrginis, & ſcriptor Lucas, & pictor oliua
Pendet, in amplexu Virginis ergo cadit.

D. Hieron. NEc poſt mortem Hieronymus ab incunabulis Chriſti abſtrahitur; hùc enim translatus è Bethleem ſpelunca, quò confugerat, apud idem prȩſepe tanquam Bos laſſus, & emeritus requieſcit.

106 D. HIERONYMO.

HIeronymus Veneres Vrbis, Martiſq; furores
Fugit Idumæi tutus ad antra ſoli.
Hauſit Præſepis reſonas concentibus auras;
Hic ſtetit, hic iacuit, moxq; ſecutus idem eſt.
Scilicet Infantis vagitum mollius audit;
Cui tuba Iudicij ſemper in aure ſonat.

S. Marcellinus P. SI Marcellinus Pontifex cum Petro cecidit, idem reſpiciente Domino fleuit cum Petro, vitam dedit pro Chriſto. Reuerendi ſunt etiam lapſus Sãctorum, quibus tam vicinum eſt ſurgere, vt videantur

tur non cecidisse S. Epaphra primus Colossensium Episcopus hìc colitur: nec minimum Colossi Rhodij fragmentum inuenias, & exiguus Colossensis Episcopi puluis metallo inclusus adoratur.

107 DE MARCELLINO P.

TE colo surgentem, te, Marcelline, cadentem,
Altior vt nobis exoriare, cadis.

HIc sunt Redempta, & Romula V.V. Romula triduo priusquā moreretur visa est à cælestibus Choris ad Cœlos euehi, cum iurante Proculo vix crediderit curia, Romulū post multos à morte dies ad sidera elatum. Non desunt Anatolia, & Victoria VV. huic potuit ferro latus aperiri, cor illi transfigi, sed neutra ad mortalium nuptias inclinari. S.Romula

108 S. ROMVLAE V.

ROmula non prius astra subit, quàm visitet astra,
Discessura sibi prouida Virgo præit.

SAncti Innocentes, Flores martyrum, & Rosæ, appositæ sunt iuxta æstiuas niues. Ploret meritò Rachel filios suos, quia non erant, & quibus non contigit, vt se vitæ miserijs citò subtraherent: hi enim infantilibus adhuc pannis inuoluti sepulturæ exuuijs initiantur, & gestiunt velut infulatæ suis fascijs victimæ, sui Redemptoris fieri Redemptores. SS. Innocē

109 SS. INNOCENTIBVS.

ERgone Iudæis vita eſt conceſſa puellis,
Vt redimant Dominum præcoce morte ſuum?
Finiat vt veſtros citò mors miſerata dolores,
Exoritur primas heſperus ante dies.
Et Deus hunc orbem dum conderet, hora diei,
Et mundi ſemper veſpera prima fuit.

Sep.Patrit. IVxta portam maiorem Porphyreticum vas ſeruat oſſa illius Patritij, qui Virginis monitu hanc ædem condidit, & ſe totum ſacris niuibus dedicauit: & par erat, vt qui vixerat in candore niuis, iaceret in purpura marmoris. Gentilitium ſidus Sixti V. ſi minus Reges, Regios ſaltem Obeliſcos ad præſepe Domini adduxit, & è ſepulchro Auguſti ſtare iuſſit ad cunas Saluatoris. Paulus V. columnam è ruinis templi Pacis, ante Baſilicam ſtatuit, ſigno Virginis aureo præmuniuit, baſi fontem induxit.

110 COLVMNAE S. MARIAE MAIOR.

SVſtinuit Pacis ſub grandi fornice tectum,
Nunc pacis Dominam ſuſtinet altus apex.
Nos Domini præſepe docet, ceu ſidus amicum,
Dirigit huc noſtros nocte dieq; gradus.
Nil opus alternos variari nubibus ignes;
Perpetuum præfert viſa columna iubar.

Et

ET quæ alia lux præluceat Virgini Deum media nocte parienti? ſuis ergo in tenebris maneat Lucina Iuno, quæ læuorſum ante veſtibulum huius Baſilicę Liberianę Puerperis fauere putabatur. Hìc adhuc viſuntur Ruinæ Aedis S. Andreæ in Auriſario, vbi corpus erat Reſtituti martyris olim canibus ad arcum Palmarum deſtituti. Reſtit. M.

111 VIRGINI AD PRAESEPE.

TV neq; Lucina, neq; munere lucis egebas
Virgo, quæ lucem nocte ſilente paris.

112 S. RESTITVTVS M.

QVis me reſtituat templo, veteriq; ſepulchro?
Nomine reſtituor, nemoq; reſtituit.

GRaui Lucinæ numini ſuccedit longæuus Eremi habitator Antonius. Armauit generoſum pectus duritie, & in ipſo Iuuentutis flore ad ea ſe contulit loca, vnde nouercali quadam naturæ illiberalitate exulant humanæ vitæ ſolatia; Ibi fortè intabuiſſet, ni Dæmonum terriculamentis identidem temperaſſet tædium ſolitudinis, & conuocatis ad parem viuẽdi normam Anachoretis, prior ſe Patrem, & Ducem ſacris legionibus præbuiſſet. Lucina.

113 TEMPLO S. ANTONII.

DIrus in Exquilijs Lucinæ lucus, & Ara
Surgebant trepido ſuſpicienda iugo.

Hæc loca nunc ſeruat vigilato Antonius igne,
Quem ceu terribilem ruſtica turba tremit.
Haud vnquam meliùs poterat Dea triſtis, & horrens
Cedere, quàm tali iura, locumq; ſeni.

Paul.prim. EXtinctus in Eremo Paulus ab Antonio ſepultus: contexta veſtis è palmarum folijs reportata: & ſanè tam carum hoc ſpolium Antonio, quã illud Eliæ Eliſeo: tam nobile ſepulchrum geminis Leonibus erutum, quàm victrices Romanorum currus, & triumphi: tam precioſa palmarum veſtis Paulo Anachoretarum Principi, quàm ſua paludamenta,& palmæ Paulo Macedonum triumphatori.

114 DE VESTE PALMARVM D. PAVLI.

SVm Paulus prior ante tuos, Romane, triumphos,
Ex me palmatas texere diſce togas.

Turris Mecœn. QVære turrim Mecęnatis olim molem propinquam nubibus arduis: huius veſtigia plures agnoſcunt in vinea Monachorum Vallis Vmbroſæ poſt ædes S. Antonij, alij propiora aggeribus Tarquinij diſquirunt; totum enim ſpatium ab æde S. Martini illucuſq; attribuitur hortis Mecœnatianis. Ardentem Romam ab hac turri proſpexit Nero, illamq; meliorem in formam dum recoqueret, cantu & fidibus laborem ſolabatur. Glorientur Thebana mœnia ad lyram ſurrexiſſe, ad tubas cecidiſſe. Romana verecundantur, ad armorum ſonitũ extructa, ad molles cytharæ ſonos coacta deficere.

DE

115 DE TVRRI MECOENATIS.

CLaudius immeritã Vulcano hinc destinat Vrbẽ;
Impius hæc Veneri sacra iocosa litat.
Roma cadit miseranda suis data victima flammis,
Dissipat effusas fumus in astra preces.
Ah' Nero crude nimis, Patriam succendis inultam;
Patria ne tecum cruda sit, igne coquis.
Si sapis, hinc aliquam saltem tibi selige tedam,
Ne careant iusto mox tua busta rogo.

EXtruxit suos hortos discinctus Eques super Exquilinum Campum, hoc est super priscas Cadauerum vstrinas,& puticulos pauperum;hæc enim tellus nec illi negabatur, qui nec glebulã viuus possederat, & sola illi supererat populo, cuius armis vniuersus terrarum Orbis defecerat. Nunquid proiecta cadauera malè funerantur? nonne Cœlo tegitur,qui non habet vrnam? Egregiè tunc altè cinctus Mecœnas hoc Elogio publicũ Cenotaphium signauit. Non tumulum curo, sepelit natura relictos. **Campus Exquil.**

116 SEPVLCHRIS COMMVNIBVS.

GLoria funestis prò quanta resultat ab vrnis,
Perq; sepulchrorum marmora muta micat.
Quanta per hos tumulos lux apparere videtur;
Forsan & hæc Romæ, quæ iacet, vmbra vaga est.

HOc itaq; amicis Vatibus Asylum aperuit Mecœnas, & monuit sepulchrorum Inquilinos, & familiares mortuorum esse Poetas, vt quantum **Horti Mecęn.**

ta-

tali conſortio vita defunctis accederet gloriæ, tantum vatibus ingereret curæ, ne viuorum laudes canerent. Prouidit, ne, qui Cœlum alijs donant, hoc ſaltem terræ angulo viui carerent.

117 HORTIS MECOENATIS.

EXquilium Campum, loca Mecœnatis, & hortos
Poſſidet vmbroſæ Vallis amica Cohors;
Hinc vitæ documenta petas. Quæ vinea frondet,
Occulit interno quot monumenta ſinu!
Delicias hominum fundant ſubiecta ſepulchra,
Delicias ſupèrum Vallis, & Vmbra tegit.

Oſſa Mortuorum.

MIſeris beatus portus eſt magnæ Matris ſinus, in cuius gremio ſinceræ pacis ſtatus firmatur. Nemo eſt, qui reſciſſo teſtamento pauperum cineres quietos eſſe non ſinat, niſi fortè incautus vineæ foſſor illos in lucem reuocet odioſam, præteritarum non oblitos miſeriarum. Prò quàm lugubris apparatus his campis occluditur! quot vrnæ, loculi, artus, & oſſa triſte ſui ſpectaculum identidem repræſentant!

118 CAMPO EXQVILINO.

TEmpus ab antiquis repetit ſua iura ſepulchris,
Et ſimul in lucem corpora ſicca vocat.
Oſſa patent pàſſim viuum ſpirantia lethum,
Oſſa patent vera mortis in effigie.

Ho-

Hoſpes in obtutu triſti quid pallidus hæres?
Et refugum retrahis corde micante pedem?
Siſte, quid exhorres vanæ ſimulacra figuræ?
Archetypum formæ, quam fugis, intus habes.

VIlla Perettina inde Viminalis ſyluas, hinc Mecęnatis delicias complexa eſt. Adeò quæ ſub Conſulibus inundauerat Præficarum lacrymis, ſub Auguſto Aganippeis fontibus aſperſa floruerat, ſub Pontifice tandem felicibus aquis irrigata fructus induit. Et quis numero comprǽhendat tot vrbana, & ſuburbana prædia, Albam, Tybur, & Tuſculum, tot Villas, hortos, & vineas regio ſumptu diſpoſitas? quis non miretur nobiliſſimam fructuum, arborumq; culturam apud antiquos celebré, noſtriſq; à Principibus priſco more, & meritò renouatam? primus enim indè cibus fuit hominibus ſic inductis cœlum ſpectare, & paſci. Villa Perettina.

119 VILLAE PERETTINAE.

CAmpus hic, antè pyris ardens fumantibus, eſt nũc
Villa Perettinis nobilitata pyris.

AD has vmbras acceſſerant ſuis domibus Maro, Propertius, Perſius; Domuum nomina dominorum fama ſuſtentat, ſtabuntq; æqualia Romanis arcibus, quas tuo cantu æternùm manſuras, magne Maro, fundaſti. Excuſſit celebrem tuis natalibus domum glorioſus illius prouinciæ Regulus, Domus Maronis.

vt

vt inhoſpitale ſuum palatium malè collocaret; ſed nos, qui Virgilianam videramus, illud etiam furore Martis citò vidimus deſolatum meritiſſima pœna deſtructi Muſarum domicilij.

120 DE DOMO VIRGILII.

VIrgilij iam nulla domus, licet omnia luſtres;
Et ſine Virgilio vix erit vlla domus.

Horti Pallantis.

HOrtos Lamiæ, & Pallantis non procul à Mecœnatianis conſtituunt ad ſanctum Euſebium. In angulo domus propriæ incluſus ab Arrianis Euſebius hìc malè viuere cogebatur, & præ ſitus anguſtia, cum iacere non poſſet, ſtabat, & moriebatur in loco, qui totus non ſufficeret ſepulchro.

121 DE S. EVSEBIO.

VIuum Tyrannus condit hìc Euſebium,
Viuoſq; condit, qui reponunt mortuum.
Scit pertinax Conſtantij conſtantia
Viuis domos negare, buſta mortuis.

Gordian.

HInc ad mœnia excurrebant Thermæ, Baſilica, & ſuburbanum Gordianorum, quæ omnia via Præneſtina extra Vrbem ab aliquibus figuntur. Prò quantum origini, & contextui ſanguinis reſpōdebat oris ſimilitudo? Tres Imperatores oris lineamētis imitatos Auguſtum, Pompeium, Scipionem,

ani-

animi ſapiētia Neſtorem, prolis numero Priamum, vitæ breuitate Aſtyanactem, impotens fortuna alterna vice verſauit, magnoq; luctamine Patrē coegit ad ſuſpendia, Filium, & Nepotem gladio confodit; vt quos ſublimi rota euexerat, profundo cladium mergeret derelictos.

122 RVINIS PALATII GORDIANOR.

GOrdia diffuſas oſtentat ſtrata ruinas,
Quæ tribus Auguſtis creuerat aucta domus.
Sed periere omnes: ferro cadit vtraq; proles,
Atq; ſibi laqueum neuerat antè Pater.
Heu Pater infelix, vitam cui nodus ademit:
Gordius heu nimium nodus & iſte fuit.

TRophæa Marij conſtitiſſe vulgus narrat ſuper aquæ Martiæ caſtellum, hinc in Capitolium translata; ſed veriùs è ſubſcriptis marmoribus conſtabat fuiſſe Domitiani. Et quis etiam vetat, Marium Conſulem pluribus in locis formidatum, hìc priùs ſua monumenta fixiſſe? Trophæa Marij.

123 DE TROPHAEIS MARII.

VIctima fortunæ Marius, quem Conſulis auxit
Septima poſt varias purpura prima vices.
Hic ſibi de Cimbro ſtatuit monumenta triumpho,
Se quibus inſinuans Martia fluxit aqua.
** Lubrica ſi nimio maduerunt ſaxa cruore*
Indita ſanguineas abluit vnda notas.

Ibi-

Castell. Mariæ. IBidem Iuliani memoria visitur: an illius, qui parentes ignotos in proprio thalamo confodit, & meliorem vitam ab occisis parentibus auspicatus, parricidij pœnam longa hospitalitate pensauit?

124 S. IVLIANO.

QVomodò consentis Mario, Iuliane? peremit
Conscius hic natam, nescius ipse Patrem.

Arcus Gallieni. ARcum cernimus Gallieni: hic est ille Gallienus, qui farciendo natus abdomini, dies, & noctes voluptatibus; vino, & stupris perdidit Orbem terrarum. Senserat Imperium in triginta Tyrannos discerpi, nec erubuit; nouerat Valerianum patrem apud Persas captiuum, pedibus regijs pro suppedaneo sterni, excoriari, saliri; & tamen seruiētem apud homines, referebat in Deos. Acuit Fortuna saporem Saporis Regis, cuius palato Romanos Imperatores sale condiuit: auxit filij socordia insolentiam Barbari Regis, cuius pedibus supponebat Deum, si sors subdiderat hominem.

125 DE ARCV GALLIENI.

TIburis appensæ pendent de fornice claues,
Pœnas Pontifici perfida terra luit;
Hoc veluti raptum retines, Galiene, trophæum
Ah nimium luxu, desidiose, tuo.
Clauibus his credas Romam tibi dicere: molli
Tibure, non sceptri pondere dignus eras.

Ex-

EXprobat ignauiam Gallieno inuictus Iuuenis Vitus, hìc vbi ſeries temporum collocauerat Macellum Liuianum, Baſilicam Siccinij, & Macellum Martyrum. Non deſpondit puerilem animum Vitus ad Patris blanditias, ad Tyranni verbera, ad delicias ſeculi; Pueri conſtantiam reſpexit Deus,& eius glorię tribuit, vt translatus ab Vrbe in Gallias, è Gallijs in Saxones, ſecum Imperij coronam, vt ſequacem traxerit. Vide quantum ponderet apud Deum diadema Mundi collatum coronæ Martyris: cenſet quippè Deus totum Imperium appendicem oſſium Pueri. **Macellum Liu.**

126 AD S. VITVM.

DIue Puer, tu non horres ſtillantia multo
Sanguine tot procerum, ſparſaq; cæde loca.
Splendet hic effuſus cruor, & diffuſa per Orbem
Maior ſanguineo gloria fonte fluit;
Oſſibus imò tuis è ſacro, Vite, Macello
Imperij ſecum voluere fata datum eſt.

VErè bonus hoſpitator fuit Cletus primus è Romanis Pontifex; Fertur habitaſſe in regione Tabernolæ, ibiq; pię hoſpitalitatis munera exercuiſſe, extructo in ædibus proprijs hoſpitio, quas in titulum S. Matthæi erexit. Et par erat, vt cuius Apoſtoli ſcripto tum primùm Chriſtus nunciabatur, eiuſdem etiam nomine charitatis Chriſtianæ iura primùm vulgarentur. **Tabernol.**

127 TITVLO S. MATTHAEI.

HAec pro Telonio tibi, Diue, Tabernola cessit;
Pro veteri mensa parua taberna data est.

Vineæ. COnquassatæ ligonibus glebæ expirant halitus putres, Cęlumq; malignitati terræ consentit, & colonos, & incolas extremis identidem spiritibus afflat. Orbem terrarum solitudinem fecerant arma Quiritium, prouincias, & populos depopulando, ipsiq; Quirites enormibus Theatris, & domibus Vrbem suam desolauerant; donec conspirantibus barbaris derelicta est quasi tugurium in vinea. Non enim ferè aliud quicquam hodie per hos colles spectas, quàm super Thermarum ruderibus inhospita tecta, superq; macerijs impositas vineas, vt pro veteri Vrbe altam videas imposturam.

128 VINEIS VRBANIS.

FRigidus hinc oritur Bacchus sine fulmine, & igne,
Qualem non peperit Iuppiter, aut Semele.

T. Quietis. PEtrus, & Marcellinus de fratrum salute solliciti hùc illùc è carceribus ad arenarias, ab arenarijs ad Sacerdotes discurrebant; donec ad syluam nigram defecerunt, & opacas tenebras in candores mutauere cælestes: Ijdem mox inter duas lauros relati, tandem vltra montes transmissi, hìc demum suis memorijs penès antiquum Quietis templum quieuere.

SS. PE-

129 SS. PETRO, ET MARCELLINO MM.

Martyres inuicti, quos nigra receperat olim
Candida per vestras silua vocata neces;
Qualia pro Christo passi? quàm dura tulistis,
Laurea quò meritas cingeret vmbra comas?
Quæ mundi regio vestri non plena laboris,
Si Styx, si Phlegethon nomina vestra tremit?
Nunc tandem tantis cessare laboribus æquum est,
Stat quibus æterna reddita pace quies.

Clemens Romæ, & Ignatius Antiochiæ tertio loco sedit post Petrum, & vterq; iussu Traiani extinctus, ille alligatus Anchoræ deturbatus in Mare, hic dentibus Leonum contritus. Apostolica nauis nunquam deficiet his firmata Anchoris, his munita frumentis: vterq; hic requiescit, simulq; Cyrillus, & Methodius, qui corpus Clementis hùc adduxerunt, & fidem Christi apud Morauos, & Slesios primi disseminarunt. Cœlius.

130 SS. CLEMENTI, ET IGNATIO.

Quàm benè conueniunt, parili quos ordine iunxit
Gloria Romanæ sedis, & Antiochæ!
Anchora vos mersit, vos contriuere Leones,
Vestra sepulchra feræ, vestra theatra mare.
Quàm benè conueniunt, parili quos sorte necauit
Anchora dente tenax, & Leo dente vorax?

Seruulus. SEruulus paraliticus præ foribus huius Ecclesiæ dum stipem quæreret, Regnum Cœli diuina liberalitate reperit. Hermes Vrbis præfectus, pater familiæ, quæ pro populo vni suffecisset Vrbi, suo exemplo totam domum subdidit Christo. Caput hoc Ioannis Chrysostomi Iezabelem inuenit Bizãtij; istud exilio bis damnauit Augusta, & amputare timuit, ne ferro percussum, cõtra muliebrem impotentiam quid grandius resonaret.

131 S. SERVVLO.

SEruule, ne pudeat Seruili voce vocari;
Seruius obtinuit seruus in Vrbe Thronum.
Qui Domino seruit, Cœlo dominatur, & idem
Seruus seruorum fertur, & est dominus.

Petrus Cælestinus. PEtrus Cælestinus Petri Claues hoc Brachio sustinuit, & dimisit; dumq; illas dimitteret, ipsa Dei Domus Nazarena per àèrem festinanter in Italiam, ad tàm rarum, & grande spectaculum accurrere visa est. Quòd si lento gradu ad Pontificiam coronam accesserat, recessit festino, & hilaris in carcere requieuit: hoc vno par summo Imperio, quia se imparem reputabat, cum altissimus tantæ cognitionis animus supra omne esset Imperium.

132 S. PETRO CAELESTINO.

CAelestine, potes Cœli deponere claues?
Petre, potes solium deseruisse Petri?

De-

Deseris haud Cœlum, retines quod nomine, linquis
In Regno, non in carcere, Petre, Petrum.

CAelius Mons, nunc celebris Basilica Lateranẽsi, à Coele Vibena Hetrusco duce nomen traxit, & à frequenti quercuũ sylua dictus est Querquetulanus. Cęliolus verò ea pars Cælij creditur, quæ patet inter amphitheatrum, Ecclesiam S. Clementis, & Cælium ipsum; quamuis alij ad Portam Latinam extendant, testimonio templi Dianæ in Cæliolo; Fabius verò Pictor, & fictor eam Cælij partem Cæliolo adscribit, quæ Circo maximo superstat. Cęlius Mons.

133 MONTI CAELIO.

QVercubus ac Tuscis fuerant hic omnia passim,
Plena peregrino milite, plena Ioue:
Et Lateranensis reliquarum Ecclesia Mater,
Implet adoratis partubus omne solum.
Fæcundus peperit pariter mons iste minorem
Cælius è proprio viscere Cæliolum.

AD Coronas è cornibus commigrarunt, & è quæsitoribus Martyrum facti sunt Christi Martyres quatuor scribæ preciosiùs plumbo, quàm auro Coronati. Plumbeis etiam loculis inclusi in profundum fluminis deiecti sunt quinq; statuarij, quia Aesculapium fingere noluerant, Mirum est, ni SS Quat.

ſerpens ſimul immiſſus, vt ſuum dedecus vlciſceretur Epidaurius, & ſolitus mortuos reuocare ad vitam, viuos adduceret morti.

134 SS. QVATVOR.

Militiæ Chriſti Heroes peregrina tenetis
Caſtra, ſed in Cœlo ſpiritus aſtra tenet.
Pro Dijs ſollicitus Cæſar vos nempè rogabat,
Vt veſtra efficerent vota, manuſq; Deos.
Hinc graue ſupplicium patitur pars altera plumbo,
Altera per medias præcipitatur aquas;
Condere qui poterant, poterant & perdere Diuos:
Qui necat, in totidem vos creat arte Deos.

Tēpl. Fauni. IDem hoc templum ſphericæ figuræ olim Fauno Deorum primo, nunc Protomartyri Stephano ſacrum eſt. Eraſmus ſuis reliquijs ſuperſtes è vicina æde diruta hìc colitur; ſuperſtes olim extremis cruciatibus ſuperuixerat, vt viuus adhuc ſui cadaueris ſpectator fieret, & mira vitæ mortiſq; miſtura ſuo funeri poſthumus, in Campania placidiſſimo fine quieſceret.

135 S. STEPHANO ROTVND.

NOn indignatur Stephanus ſuccedere Fauno;
Fana ſubit Stephanus, Faunus ad antra redit.
Quàm dignè Iuueni, qui Cœlos vidit apertos,
Hæc imitata Polum templa rotunda patent?
Quid maius dare Roma poteſt? in imagine ſaltem
Ipſa dedit Cœlum, Cælius ipſe locum.

Fe-

FElicianus octuagenarius Senex per tres dies cō-fixus Cruci viuus pependit, donec cum Primo fratre ſuo pari morte concideret. Myſticum ſui corporis templum in triduo Chriſtus reædificauit; at Nomentanus Preſes hunc martyrem, hoc ſacrum Deo templum nec in triduo deſtruxit. Ceſſauit Romæ antiquiſſimus titulus Aemilianæ martyris, & perſtat hic corpus Aemilianæ Virginis. Felician.

136 S. FELICIANVS MARTYR.

IN cruce non morior, quoniam te, Prime, morabar.
Primus es, ò frater; non ego primus ero.

CAſtra Peregrina tendebāt ædem verſus S. Mariæ in Dominica, ibiq; manſiones Albanæ, quando Alba diruta Albani in Vrbem recepti. Domus hæc olim Cyriacæ, nunc eſt titulus Cardinalis inter Diaconos primi, & à marmorea nauicula præ foribus conſpicua dicitur S. Mariæ in Nauicula. Debuit antiquitùs formæ nauis reſpondere Dominicum, & benè reſpondet nauis typo Deipara, quæ cum panem ſuum de longè portarit, in poſterum non diſceſſura nobiſcum marmorea remanet. Caſtra Peregr.

137 D. MARIAE AD NAVICVLAM.

VT fugiant ventos caua ligna feruntur in vndas,
Vt referat Mariam ſaxea nauis adeſt.
Gens recidiua Phrygum poſt Troiæ funus, & Albæ
Hic ſteterat, pereunt ſingula, Virgo, manes.

Firma manes, dum cuncta labant, tu sola ruinas
Stas super Iliadum, stas super Ausonidum.
Fabula conticeat versas in marmora naues;
Nauis es, & portus, merx, mare, stella, polus.

Pisc. Publ. HOrti Mattheiorum è supercilio montis decliues in Appiam largo aquarum prouentu promouentur, & centenis Heroum statarijs signis vallati, Piscinæ publicæ prisca iura custodiũt. In his hortis illa met statua Veientanæ Iunonis asseruatur, quæ subuertentibus post decennium Hetruscam Troiam militibus rogata, an relictis Veijs vellet Romam transferri, fertur annuisse, & (si credere velis) voce respondisse.

138 STATVAE IVNON. VEIENTANAE.

ANnuit huc Veijs Iuno migrare relictis;
Vrbem seruabat, sed modò seruat agrum.
Par fuit, vt mater nati transiret in Vrbem;
Nam Romæ, si Mars est Pater, hæc Auia est.

Domus Aurea. VErè Cæsareus partus fuit Nero, qui radicitùs suum genus excìdit; excìdit Patriam, vt domum conderet, excìdit Matrem, vt regnaret. Hinc vbi vetus Curia in Cælio monte fuerat ad aggeres vsq; Tarquinij enormem Vrbi plagam intulit, vt suã domum ædificaret; laborabat, vt Roma fieret domus Neroniana.

139 DE AVREA DOMO NERONIS.

DVre Nero, tua consumpsit Domus aurea mõtes,
Ingremio lucos abdidit, antra, lacus.
Si tibi qualis homo, demens, habitare videris;
Ceu fera qui viuit, ceu homo non habitat.
Antra tibi molire Nero; nam Cæsaris hæres
Perdis Iuleam, Cæsareamq; Domum.
Ah neq; Cæsareo vixisses nomine dignus,
Ni Cæsar cæsa deniq; Matre fores.

CVria hostilia vi fulminis cum suo Rege exhausta euaserat in Titulum Pamachij, & fuerat ædes Ioannis, & Pauli, vbi vterq; pro Christo, in hac fouea, super hoc conspicuo marmore obtruncatus est. Et cum Arcus aquæ Claudiæ hìc desinerent, quis nouit, an hìc fuerit templum Claudij? Speratus Scilitanorum Martyrum princeps hìc cõditur, & sacer ordo B. Columbini cùm à pijs meditationibus vacat, in destillandis herbis, & floribus non ociosè occupatur. Curia Hostil.

140 SS. IOANNI, ET PAVLO.

AVlæ Cæsareæ Proceres Hostilia iactat
Curia fulmineo dilacerata Ioue.
Purpurat in Reges vestro vos sanguine Christus,
Romaq; martyribus Regia Templa vouet.
Ista nihil metuunt rapidas cum fulmine flammas;
Quin aqua supposito stillat odora foco.

Formæ Claud. IN Aede S. Thomæ ad formas Claudias iacet Ioannes Marensis captiuorum redemptor. Ingemuit Gallus hic vir catenis Christianorum hostibus seruientium; & ne ipsorum quoq; fides captiuitatis subiret periculum, ordinem instruxit, quo miseros ab extremo desperationis margine auocaret, dū agnoscerent in Cœlis Deum, & in terris homines de sua met ipsorum salute sollicitos.

141 B. IOANNES MARENSIS.

O Vos reuincti Barbaris,
Vobis reuincto plaudite:
Ne vestra vincla seruiant
Vestris catènis seruio.

Cliuus Scauri. SVas D. Gregorius nobilissimas Aedes Anicias Deo, Andreæq; dicauit, & in solitaria claustrà suis Monachis transtulit. Excepit Anglos Ecclesia, Angelos mensa; ipsumq; Dei filium quandoq; nouit inter mendicos sub larua pauperis quotidiano interfuisse, mox euanuisse conuiuio; quasi ludos, & delicias accumbentibus faceret, tectumquè, quod magnus Hospes impleuerat improuisò deserens, perpetuæ liberalitati Pōtificis suauissimè plauderet.

142 S. GREGORIVS.

DIuidat Augustus licet ipso cum Ioue Regnum,
Dum mea communis sit tibi, Christe, Domus.

Mar-

MArmoream penès mensam hùc deductam è Laterano Beatus Pontifex Cœlorum incolas inter suos hospites vidit, & adorauit; nec priuatas solum miseratus miserias, felici columbæ suæ signo pręmonuit cessaturum ferale pestis diluuium, ab inundationibus Tyberis primo Pontificatus sui tempore publica strage profusum. Alias magni Patris, & Siluiæ Matris memorias, & Gregorianum fontem conspicimus. Acriùs tamen nostros vrgent oculos ossa animoso spiritu plena, quæ D. Gregorij efficacissimas preces expectant. **D.Gregor.**

143 OSSA MORTVORVM.

PVluis, & vmbra sumus, sed munere lucis, & auræ
Aetheris, ad Cœlum puluis, & vmbra salit.

PEr cliuum Scauri descendimus in Appiam. Suũ sepulchrum ex Africa venientibus videndum obiecit Seuerus septem columnarum ordinibus superpositis, ceu totidem Zonis distinctum. Aliud etiam Septizonium priùs memorant, penès quod Titus natus, vbi Petro illàc transeunti fascia excidit, qua sibi crus catenis corrosum in carcere coarctauerat. Et quis putet id contigisse Petro in apice suburræ, cum per hanc viam pergeret, vbi postea Septizonium istud excitatum est? vbi ab alijs porta figitur Ardeatina? **Septizonium.**

144 RVINIS SEPTIZONII.

SEptimij ſeptem Zonas imitantia buſta
Deniq; ponderibus ſuccubuere ſuis.
Num ſeptem Zonæ ſtarent, vbi paruula Petro
Faſcia de lacero crure ſoluta cadit?

Cur.Vet. ANtiqua Suburra (aiunt quidam) excurrebat in hac valle inter Palatinum, & Cælium. At quomodo, ſi ſub muro terreo carinarum, ſuper cloacam maximam ad Exquilias protendebatur? Hìc ergo Curię veteres, Appia via, & via noua Caracallæ, in qua ſteterat ad cliuum Scauri Septizonium Septimij, ex altera parte arcus Conſtantini.

145 DE ARCV CONSTANTINI.

QVi Conſtantini titulos, & nomina neſcit,
Cuius ad Imperium Roma renata noua eſt;
Suſpiciat veteres arcus, ſi plura requirat,
Secum fortunam tranſtulit ille loci.
Sculpta quidem hic fractis Victoria viſitur alis,
Vrbe tamen retulit non reditura pedem.
Placatum tibi nempè Deum, pia Roma, reliquit;
Liquit & iratos, Roma ſuperba, Deos.

Arcus Cōſtantini. SPoliauerat P.R. arcum Traiani, vt ornaret arcũ Conſtantini; ſed repertus eſt, qui noctu egregijs ſtatuis detruncatis, aſſuefaceret furtiuis facinoribus naturam, ſibiq; audaciam faceret ipſos obtrũcandi Alexandros. Ita enim fit, conſilia ſibi quiſq;

at-

attemperat, & iudicium natura extorquente, putamus causæ tribuere, quod nostris interim moribus indulgemus.

146 DE STATVIS TRVNCIS.

QVi caput auulsit statuis, auferre perempto
Cessat Alexandro: non erat iste lapis.

PEnès Amphitheatrum ædes dicta S. Agathæ in caput Suburræ deleta dicitur. Eminet adhuc vestigium Metæ sudantis. Fons hic fuerat salientibus olim aquis cælo repluens, vt Amphitheatri sitim reficeret. Circum posita quandoq; sudanti Metæ Iouis, & Deorum signa; vt in procurandis huius populi solatijs Dij etiam insudare viderentur. Meta Sudans.

147 METAE SVDANTI.

SVdans Meta fuit, vestigia vise, Viator,
Illa theatralem prompta leuare sitim.
E Iouis imposita rorabat imagine lympha,
Fusilis in guttas desiliendo leues.
Murmure sic tenui, tonitruq; silente Deûm Rex
Pocula Martigenis pro Ganymede dabat.
Dignus hic est igitur Populus, cui Iuppiter ipse
Diffluat in latices, & sine nube pluat.

DEcantatum Carminibus Vatum, Vespasiani, & Titi Amphitheatrum hostilibus armis cõuelli non potuit, si potuit Romanorum cura componi. Magnum quid fuisset tantum opus instauras- Amphith.

raſſe, nec leuius magnitudinis indicium exſcindi totum non potuiſſe. Hoc verè artis illud prodigium erat, cuius vniuerſa facies admirationem ſingulis partibus abſtulit.

148 AMPHITHEATRO TITI.

Amphitheatrales quiſquis luſtrare ruinas
Quæris, & immenſum voluere mente nefas.
Semirutos arcus, æquataq; pegmata Cœlo,
Argento, & ſtatuis expoliata vide.
Cæſaris hìc ſedes fuit, hìc ſubſellia Patrum,
Hæ caueæ clauſas continuere feras.
Fulſerat hæc auro, mox fluxit arena cruore,
Nunc lapidum vili fragmine tecta latet.
Millia tot reputa populorum hac veſcier aura,
Barbarus infixit ſtigmata quanta furor?
Viſere ſi renuis tantum ſcelus, Hoſpes, abito,
Parce oculos lacrymis contemerare tuos.
Vnicus has habitat pompas Pauperculus omnes,
Qui tibi conſperſa lumina luſtret aqua.

ESto, Veſpaſianus oculos reddiderit cæcis, hæc Veſpaſiani moles conuulſa lacrymas noſtris oculis reddit. Tempus, & fortuna hoc Orbis miraculum illuc adduxerunt, vt vnus homuncio, quaſi in Arabiæ deſertis, in ipſo Vrbis corde, inhoſpitum tugurium, & ſolitudinem ſuis aptam votis inuenerit.

149 AMPHITHEATRO.

OMnibus hæc etiam deſerta arridet arena,
Tamquam ſolenni pulpita fuſa croco.

Gran-

Grandius insontes horrent sine cæde ruinæ,
Area quàm stratis sanguinolenta feris.
Grande scelus pleni cædes spectasse Theatri,
Nec minus est vacuum gente videre locum.
Sola sedet Nemesis, satiataq; sanguine duros
Morsibus extremis rodit, vt ossa, gradus.

SAnctus Andreas ad busta Gallica locum indicat sepulturæ Gallorum, qui Breno duce in obsidione Capitolij consumpti sunt. Horum busta Tyberim versus alij trahunt; nos hìc, aut alibi sepultos libenter iacere permittimus, & sinimus, saltèm post mortem Gallos esse quietos. **Busta Gallica.**

150 S. ANDREAE AD BVSTA GALLICA.

GAlle, quid exultas? Andreæ nomen adora;
Et tua, si titulos non legis, ossa lege.

SPurij Caſſij euersa Domus, pœna nimiæ liberalitatis libertatem oppressuræ, aream præstitit ædi Telluris intra carinas. Hanc Sempronius tremente inter prælium campo Deæ promiserat, ibiq; olim frequens Senatus, ibi armamentarium Telluris, & superioribus annis ædes Saluatoris in Tellure. Studiosus Medicinæ Pantaleo vulnera, & mortes, quæ in alijs sanabat, patienter pertulit. Hæc eius memoria; Corpus in æde D. Gregorij; Caput penès circum Agonalem. **Templum Telluris.**

151 S. PANTALEONI.

TEllaris templo potitur fortissimus hæros,
Pro Christo stabili pectore Pantaleo.
Id meruit tellus pugnæ concussa tumultu,
Hoc meruit martyr cum stetit intrepidus.
Sic terram, Cœlumq; tenet, mediosq; per ignes,
Insiluit geminum gratus vtrinq; thronum.
Hanc terram fuge, Terra, tuos occlude Gigantas;
Martyris hinc tellus; martyris inde Polus.

S.Pantal. SAnguis D. Pãtaleonis in Ecclesia Vallicellæ seruatus die martyris natalitio fertur liquescere non secus ac in aspectu capitis sui sanguis Ianuarij. Sed liceat, ò Parthenope, Ianuarij sanguinem à prisco miraculo tãtillum resedisse, postquam aliud tuis oculis nuper hausisti, ebullientes in tuum caput Vesuuij vortices sacro sanguine consopitos.

152 S. PANTAL.

NOn satis est nostrum semel effudisse cruorem
Vulnera, deficiunt vulnera, sponte fluat.

Carinæ. SVburra, & Carinæ veteris Vrbis suburbia ad Quirinalem Exquilinum, & Viminalem extẽdebantur. Carinarum initium ab arcu Constantini, & erat ædium perpetua series, quarum tecta bipartita decliuitate è fastigio prona, vt bifariam pluuias exciperent, inuersas Carinas referebant. Gn: verò Pompeius Carinarum incola iugulatur in Cari-

ri-

rina, & Carinæ fragmentis comburitur. Appositè Maris victor exornauerat nauium rostris suam domum, cuius capiti extremo fato imminebant metuendæ Carinæ, non rostra.

153 DOMVI POMPEII.

NOn eguit Pompeia domus ciuilibus armis
Vt caderet, senio collabefacta suo.
Vt caderet dominus, sceleri Nilotica ferrum
Miscuit, ingenti perfida fraude Pharos.
Nil fatum differre iuuat: citò, Magne, redegit
Te Deus ad Nilum, se domus ad nihilum.

GEmini fornices in hortis S.Mariæ nouæ, quorum alter Orientem respicit, alter Occidentem, ruinæ sunt templorum Solis, & Lunæ; Et quis nescit Deiparam, æterni Solis luce perfusam, nouo in dies lumine augeri? hæc Ecclesia olim dicta S. Mariæ antiquæ, nunc dicitur nouæ, apta imitatione siderum, quæ renouant occasibus ortus, finemq; principio catenata serie connectunt. Tẽpl. Solis & Lunæ.

154 S. MARIAE NOVAE.

SVb pedibus cui Luna micat, cui Solis amictus,
Et Lunæ, & Solis subditur ara duplex.
Hæc delubra decent Diuam, quæ nocte dieq;
Nos regit, & nullo cum Ioue regna secat.
Iam veteres referant Iouis omnia plena Quirites;
Plura capis vero, lux noua, plena Deo.

Con-

Memoria S. Petri.

COnſecrauit prior Petrus reclinatis ſuper ſilicẽ genibus hoc ſacræ viæ diuerticulum, quando Magus ille Simon credulam volatu ſeducturus turbam viæ, & vitæ compendium fecit; & quanta leuitate ſe ad Cœlos euexerat, tanto ſe pondere terris impreſſit.

155 D. PETRO.

PEtre, roga procul hinc laceretur in aere Simon;
Altiùs an quò ſe figat in Vrbe, cadit?

S. Lucilla.

REſtituta lux oculis Lucillæ Nemeſij filiæ, fidei lumen indidit Patri, & totam domum ſacro priùs fonte, mox ſanguine diluit. Iugulatur ſub oculis Martis innocens Virgo, non ſine rubore barbari numinis. Hoc exemplo Tribunus militum Olympius, Vxor & filius nomen Chriſto addixere; & antè oppoſitas ædes Solis, & Lunæ in flammas iniecti turbarunt fumo proximos vultus ſiderum; nunc vero clariori luce hoc eodem in loco ſortiti ſunt aras, & puriſſimos flamines, vbi ſubiere ſupplicium.

156 D. LVCILLAE, ET SOCIIS.

SAcri fontis aquæ Lucillæ lumina reddunt,
Cœlum alijs; cęlo vos ſupereſtis aquæ.

S. Frãciſca

BEata Franciſca Romana, Matronalis pudicitiæ exemplar, & Speculũ, perpetuo ſuæ vitæ theatro Angelorum Principem reperit ſpectatorem.

Grego-

Gregorius XI. Romanā ſedem diù Auenione quaſi exulantem in Italiam reduxit, & ſuſtinuit ſuas Gallias hac gloria ſpoliare, vt æquiſſima lance ſuum derelictæ Romæ decus rependeret.

157 SEPVLC. GREGORII XI.

VIx remeare Petrū Chriſtus cruce cogit in Vrbē;
Gregorius ſed ſponte redit, redditq; cathedrā.
Cernere non poterat Petrus Babylona ſuperbā;
Vnit Gregorius tanti fragmenta Coloſſi.
Petrus humi reſides claudos erexerat vmbra;
Gregorius lapſam pede tangit, & erigit Vrbē.
Quomodo Romani Paſtor Petrus eſſet ouilis,
Hoc ſine Gregorio, grex vbi nullus erat?

TIto debellatis ferro, & fame Iudæis triumphalem arcum Senatus erexit: in huius inſculptis marmoribus ſacroſancta ſupellex templi expreſſà conſpicitur, tabulæ legis, candelabrum, & tubæ nullos in poſterum captiuæ genti ſuis clangoribus Libertatis annos intonaturæ. Arc. Tit.

158 DE ARCV TITI.

IVdæa de gente manent monumenta triumphi,
Scalptaq; de veteri rapta trophæa domo.
Ipſa vel incidi potuiſſent viſcera matrum
Reddita pignoribus viua ſepulchra ſuis.
Sed Titus Orbis amor fuerat; cui ſcilicet arcus
Aptior ad pompas, Arcus Amoris erat.

Tẽpl. Pacis in Campo Vaccino.

POstquam Veſpaſianus Hieroſolymas ſolitudinem fecit, Pacem vocauit, & ſe Pacis principem reputans, hoc templum condidit. Demus etiam vulgatæ famæ, vt aliud Pacis templum habuerit Roma, quod in partu Virginis conciderit; dummodò conſtet, iſtud poſt centum à ſubſtructione annos improuiſo incendio exhauſtum, & è cineribus ſubtracta precioſa vaſa, & templi Hieroſolymitani ornamenta.

159 RVINIS TEMPLI PACIS.

AEternum Pacis templum fore Roma canebat,
Quod pariente Deum Virgine preſſit humum;
Duratura diù Titus extulit altera templa,
Quæ modò Vaccinus diruta campus habet.
Pax Romæ infelix, cui Virgo illuſit inermis,
Cui miſera inſultant conditione boues.
Pax meritò infelix, ſibi quæ maleſana putabat,
Figere perpetuas Martis in Vrbe Domos.

Coloſ. Sol.

COntra templum Pacis, in veſtibulo domus olim Neronianæ, altiſſimus Solis Coloſſus magnã Cœli partem occupauerat; nec minorem exæquaſſet Vrbs Roma ibidem ab Adriano donata templo, ſi tam grandis Dea cum ſeptem ſuis collibus Cœlũ potuiſſet intrare. Illos fortè facti pęnituit, dum Romæ templo nomen Veneris adiunxere, atq; ſimul geminis adolebant thura Deabus.

RVI-

160 RVINIS TEMPLI VRBIS ROMAE.

NOn fuerat vanum Romæ sine Numine templum
Condere? sub Roma non ne latebat Amor?

SIxtus III. templum Romuli, & Remi mutasse fertur in nomen Cosmæ, & Damiani. Hic cō-ditur Felix II. quem Arriana perfidia clàm Ceræ necauit. Conduntur Marcus, & Marcellianus cum Tranquillino Patre lapidibus obtrito, dum ad Apostoli tumulum supplicaret. Condebantur Abundus, & Abundantius hinc aliò translati: Vide, quot paria fratrum habeat pia Roma, quæ veteri obijciat, & comparet Romulo, & Remo, nisi pudeat; Sanctissimos fratres Cęli incolas, fratricidis committi. **Templum Romuli.**

161 SS. COSMAE, ET DIAMANO.

SVccedunt gemini fratres, geminiq; recedunt,
Par quibus vnda fuit Tybris, & vnda Maris.
Romulus, & frater, Cosmas, & frater: ab illo
Roma; sed ex istis nomina mundus habet.

IVxta ædem SS. Cosmæ, & Damiani templum fuerat Petri, & Pauli, eo loco, quo recensent Apostolos flexisse genua, vel sollicitos, ne sibi commissa Ecclesiæ nauicula Simonis volatu seducta Naufragium pateretur, vel quando ad mortem deducti se priùs ad hanc terram dimiserant, vt firmiùs Regnum Cœli aggrederentur. **SS. Petr. & Paul.**

162 S. TRANQVILLINO.

QVid Tranquillinus Petri, Pauliq; ſepulchro
Impetrat? iniectis nempè ſepulchra petris.

T. Fauſtin. EXtremus ſeruitutis apex cadente Republica apparuit, coacto Senatu, tam fœdè ſuorum Principum vitijs adulari, vt monſtra libidinum, & crudelitatis Cœlo adſcriberet, inq; Deùm templis iuraret Roma per vmbras. Perſtat miſeræ adulationis ſpecimen templum Fauſtinæ Antonini cubitalibus litteris inſcriptum. Hanc Senatus inter Deas retulit, cum ſe ipſam è pudico matronarum numero ſuis ſe libidinibus eximeret. D. Laurentius hoc templum tenet ob inſignia circum poſita ædificia dictum in Miranda.

163 D. LAVRENTIO.

QVid mage mirãdum Romæ, quàm fortis Iberus,
Cuius adhuc fumo ſplendida templa calent?
Quis furor inſcriptis Fauſtinæ nomen in aris
Funerea puros tingere nube polos?
Ignis adoratas expungit laureus vmbras;
Fumus odoratis expiat aſtra globis.

Palatium. TAm ſpecioſa porta nunquam cõtigit Vrbi quadratæ Romuli, quàm iſta, quæ nunc ducit ad hortos Farneſij. Ingruebat hinc viæ ſacræ pars antica Palatij Imperatorum, cuius ſuperbiam compenſant ruinæ pares, longè, latèq; prolata ſolitudi-

ne. Pendent exesi fornices Augustæ Domus,& in Celum minantia templorum fundamenta testantur, quàm inuitè ab antiqua statione decedant. Fulciunt Pensiles arcus suspensos hortos, & adhùc in Vrbe sua morantur Venerem mille florum areolis impexam, mille odorum illecebris irretitam.

164 HORTI PENSILES.

IAm vetus Vrbs cecidit: super Vrbem Pēsilis hortus
Surgit; & hinc etiam pendula Roma cadet.

EXarmauit fortuna Vrbem Romuli,& Parmam Farnesiæ genti concessit, vt quorum animis Romanum robur impresserat, eorundem pectora cōtra Romani nominis hostes præmuniret, & quadrata Roma dignus Farnesijs floribus hortus reuiresceret. **Horti Farnesij.**

165 MONTI PALATINO.

ROmulius Collis, domus Augustana, quadrata
Roma, Palatinus cum Ioue Phœbus erant.
Hæc sibi regales statuens Farnesius hortos
Trānstulit in villæ compita læta suæ.
Quis modo Romulidum vires neget esse supremas;
Quorum vi montes in Paradisum abeunt?

NOn tondebāt, neq; deglubebant antiquo tempore greges; sed manu vellebant lanas: vnde summa Velia locus in Palatio dictus, in quo ster- **Sūma Vel.**

tebant, qui carpebant vellera, & qui non carpit vellera, cogat oues. Quod si Publicola sub Velia domum habuit foro imminentem, certè non erat, vbi nunc trans arcum Titi describitur.

166 DE SVMMA VELIA.

Redditur en iterum querulis balatibus apta
Velia, de vulso nomina dicta pecu.
Tanta ne lanarum Saturno Rege cupido,
Vt pastor cruda velleret arte gregem?
Ah pereat qui primus oues ità pascere doctus,
Mollia sanguineo vellera rore tulit.
Tunc vixisse Deos credam? vixere; sed ijdem
Dij quoq; lanatos tunc habuere pedes.

Vulcanale. VVlcanale suis mœnibus exclusit Romulus, vbi posteà hominum frequentia negotiabatur, vbi nunc velut in deserto, & procul ab omni commercio nitritus, & sulphureus puluis elaboratur. Et quis nõ timeat Vulcanum hoc in loco, aut Cloacinam Venerem non auersetur?

167 VVLCANVS E VVLCANALI.

Romulidæ Patribus nequiores; Romulus Vrbe,
Vosq; mea vultis me procul esse Domo.

Aedes Victoriæ. AEdes Victoriæ, in quam depopulata incendio Vesta, Palladium translatum est, fuisse perhibetur supra arcum Titi in Palatio, vbi ædes S. Andreæ

dreæ in Pallaria. Parum degenerauerat Numen loci, si Crux Andreæ Palladio substituebatur: quantum enim distat à Crucis stipite Pallas Attica?

168 S. ANDREAE IN PALLARIA.

CRux senis Andreæ colitur pro Pallade Teucra;
Dardana Pallas eras, Attica Pallas eris.

AD turrim Palladiam, inquiunt, D. Sebastianus sagittis expositus est; maiorem tamen animam gerens, quàm per hiatus vulnerum posset exire, superuixit Imperatori crudelitatem exprobraturus, priùs quàm sub nodosis fustibus deficeret, & verberibus cruore renouato speciosos sagittarum titulos renouaret. Nunc totum Palatium in antiqua pecudum pascua concessisset, ni bonus Pastor Vrbanus, marcida senectutis Romæ membra resecando, & Romanas arces, & fortissimi Ducis memorias repararet. Date veniam Lupercales genij, sacra rudimenta; plus est occasum repellere, quàm dedisse principia. Res enim ardua, vetustis nouitatem dare, obsoletis nitorem, fastiditis gratiam, omnibus verò naturam, & naturæ suæ omnia. **Turris Palladia.** Plin.

169 S. SEBASTIANO.

PAlladis ad turrim, per mille petita sagittas,
Mille vijs nequijt cedere vita ducis.
Obijce Palladio sunt spicula vana Dianæ;
Morte carent pennæ, mors quibus acta volat.

Nec tu fœmineis meruiſti occumbere telis,
Qui labor Herculeo robore dignus eras.

Caſa Romuli.

IN angulo è Palatio in Circum ducẽte ad pulchrĩ littoris gradus fuit caſa Romuli, per multaſq; ætates manſit, & ſi quid vetuſtate, aut alio caſu corruiſſet, cuſtodes loci nil magnificentiùs addentes, verùm omnia prioribus reſtituentes reficere conſueuerant: iiſdem infixam veſtigijs ædiculam oſtendunt, quæ paruo labore, & impenſa minori imitatur antiquam.

170 CASAE ROMVLI.

REgia, quæ magnum capiebat parua Quirinum,
Conſita de cannis ſtraminibuſq; caſa;
Non fuit hac melior, ventoq; patebat, & imbri
Vix poterat tutum Regis obire caput;
Sic tamen ille domi pacem, foris arma gerendo,
Sorte pari felix ſub Ioue ſemper erat.

RomaQuadrata.

COronatur Palatinus mons circumſitis montibus, & quatuor quaſi vallibus ab iiſdem diſtinguitur. Quæ Vallis ſeparat ab Auentino, locum præſtitit Circo Maximo; quæ à Capitolio, ſpatium fori fecit; quæ à Cælio, curias veteres; quæ à reliquis, ſacram viam; & cui non quadrat hæc deſcriptio aptiorem quęrat. Cõſtitit ergo primùm in hoc exiguo colle Roma Parens numine Deùm electa, quæ cęlum ipſum clarius faceret, humanitatem homini daret. Hęc cęli plaga candidior, atq; ipſe videtur, quem ſibi Roma facit, purior eſſe dies.

171 DE ROMA QVADRATA.

ROma quadrata sibi totum quadrauerat Orbem;
Nunc Orbi sese Roma rotunda quadrat.

HVmiliati sunt colles, impletæ sunt valles. Ex hac valle Murtia Circo destinata maximo, nunc hortis, & pascuis referta, è subterraneo solo extracta sunt integra templa, & aræ sub terra reconditæ, exhumauit Sixtus V. Solis, & Lunæ obeliscos, vt Vrbi nouæ refulgerent. Circ. Max.

172 DE CIRCO MAXIMO.

HIc vbi vix tenui volitat cum puluere nomen,
Circus erat, Cereris gloria, Solis honos.
Hìc vbi diffuso stertunt animalia campo,
Trita volubilibus fluxit arena rotis.
Hìc vbi deposuit fatalia nomina Circe,
Quis vetet hospitium quærere bruta suum?

AD Circi portas templum olim Veneris Murtiæ, quoniam hic Sabinarum raptus in Circensibus ludis: prę foribus ara Consi Consulentis, cum inscriptione Consus Consilio: Mars duello: Lares comitio potentes. Ven. Murt.

173 TEMPLIS SVB TERRA.

SAcra suis periere Dijs, periere Deabus
Aedes, Aediculæ, Templa, Sacella, Lares.

Si qua tamen veteris fabricæ monumenta ſuperſunt,
Horrent immundò ſemiſepulta ſitu.
Tota ſuperfuſo de montibus obſita limo
Viſceribus terræ contumulata latent.
Inferni ceſſere Dij, ceſſere viciſſim,
Scilicet ad proprios templa ſubacta Deos.

Horrea Domitiani. GRandes parietes, qui per Appiam viam ſpondas montium, & vineta ſuſtinent, dicuntur horrea Domitiani, in quibus Aegyptiæ, & Siculæ meſſes deſtinata P.R. annona reponebantur. Tantum Vrbs creuerat ſub Imperatoribus, vt aſtruant, cenſa in Vrbe ſepties capitum decies millia; ſi tamen fœminæ, pueri, ſeruorumq; & hoſpitum infiniti greges numerentur. Reſpondebant ergo amplitudine, & numero paria horrea Vrbi, in qua conſumebatur quicquid terris omnibus aratur: reſpondebant immenſo populo, quo nil lætius ſaturo, nil triſtius famelico.

174 HORREIS P.R.

HOrrea quæ fuerant, nunc ſunt vineta, Viator,
Nec malè conueniunt Liber, & alma Cerès.
Cum Cerere, & Baccho ſociatur Murtia Cypris:
Quiſquis es infelix, ſic ede, lude, bibe.
Horrea vana Ceres refugit, ſua vina Lyæus,
Hæc negat, hinc friget deſidioſa Venus.

T. Iſidis. SAcra Iſidis Romam deportauit Caracalla, & templa vbiq; eidem Deæ fecit: vnum ex his cir-

circumferebatur, vbi Fasciolæ titulo nuper restituto, reposita sunt corpora SS. Nerei, Archilei, & Flauiæ Domitillæ. Ambo Custodes infantis regiæ eius animum auocarunt ab hymenæis hominum ad thalamos æterni Regis, & egregia operis mercede sanxerunt suo sanguine sacrosanctas nuptias. Ignoscat mihi vester genius, o Romulidæ: non aliàs cantiunculæ suauiores è vestris spadonum semiuiris gregibus auditæ sunt, quàm illæ, quas hi duo in auribus custoditæ Virginis occinuere.

175 DE SS. NEREO, ET ARCHILEO.

NEreus, Archileus spretam dominantur in Isim;
Isis ab Eunuchis pulsa duobus abit;
Centum oculis Isin malè custodiuerat Argus;
Flauia sub gemino Martyre iuncta Deo est.

SIxtus II. tot columnas suo nomini erexit, quot è templo Martis extramuranei excussit. Verum Romæ Patrem se probauit D. Pontifex, dum singulari duello euocatum extra Vrbis muros Martem inter suas palmas confodit, templum deiecit, & hoc aliud in Vrbe sibi ope Tigridis in trophæum constituit. T. Martis.

176 S. SIXTO.

SIxte, triumphales palmarum fortis ad vmbras,
Opprimis armorum victor in Aede Patrem.

Te

Te tuus ad mortem Laurentius ille præibat,
Eſtq; tuum moriens ponè ſecutus iter.
Certa tibi gemino victoria munere plauſit,
Eſtq; ſequax palmis Laurea iuncta tuis.

S. Cæſar.

FIrmiora Cæſarei nominis, quàm palatij hìc obſeruamus veſtigia. Hanc gloriam Cæſareo præſtiterunt ſqualores carceris, in quibus per biennium nudus permanſiſſet, ni longa cæſaries officioſo munere ſui Cæſarei velaſſet nuditatem. Extirpauit ab Vrbe Terracina crudele ſacrum, quo ſingulis annis è monte deuoluebatur Iuuenis, vt iuuenili ſanguine ſaginaretur numen Apollinis, ſed proiectus in mare Chriſti Martyr ad iſta Cæſarei Palatij limina appulit gloriosè.

177 S. CAESAREO.

ERipuit quia præcipitem de monte Iuuentam,
Præcipitem iaciunt in Mare Cæſareum.

Thermæ Anton.

THermæ Antonini Caracallæ partem regionis Piſcinæ publicę, partemq; Auentini ſua vaſtitate conſumpſerant: tantum verò inter alias altum erexerant caput, vt reliquę procerioribus his admotę decreſcerent. Ergo ampliſſimè ſe lauare ſtudebat crudelis Imperator, ſed coniuratorum animis altiùs hæſerat innocentium Ciuium ſanguis, quàm ab vllo lauacro poſſet elui. Itaq; in itinere Parthi-

co

co cum ex equo micturus descendisset, improuiso armorum turbine oppressus, meritas crudelitatis suę pœnas persoluit.

178 THERMIS ANTONIANIS.

SVspice magnanimas imitantes oppida Thermas;
Atq; Antoninum dixeris istud opus.
Credulus, ah nimium patriæ Caracalla cruorem
Tergere Thermali posse putauit aqua.
Sed coniuratis iacuit confossus ab armis,
Linqueret in media cùm Babylona via.
Tanta lauatrina structa est, vt ritè lauaret;
Meieret vt cautè, nulla latrina fuit.

VLtimus Septimōtium superest Auentinus damnatus, & ab Vrbis commercio exclusus ob infaustum Remi augurium: ab hoc enim colle volantes sex solùm aues ille viderat, cum frater è Palatio duodecim demonstrasset. Sed ancipites fortunas Remurij consignemus lassæ Musæ, & ad exitum festinanti. Auentinus

179 MONTI AVENTINO.

TRistis Auentinus Caci raptoris ob antrum;
Idemq; aduentu nobilis herculeo:
Tristis Auentinus, quia tristia templa Dianæ;
At rata nobilium, Pontificumq; domus:
Tristis Auentinus scalis, pœnisq; nocentum;
At resonus Circi, plausibus, atq; iocis:

Tri-

Triſtis Auentinus populi, plebiſq; receſſu;
At Piſcatorum Principis hoſpitium.
O ſi ſubiectum Remus inſpexiſſet in amnem,
Quando tulit bis ſex frater in omen aues;
Viciſſet fortaſſe Remus, fortaſſe tuliſſet
Lætius è totidem piſcibus augurium.

S. Balb. CAtenę Petri, & Alexandri Pontificum impoſitę collo Balbinę, reſtituerunt ſanitatem Virgini, eandemq; cum Patre Quirino in obſequium noſtrę fidei deduxerunt. Vtriuſq; ſepulchrum indicat Roma pari gloriæ ſtimulo ſollicita, vt abſcondat dilaniati olim Quirini membra, & detegat iſtius pro Chriſto obtruncati vulnera.

180 DE S. BALBINA.

HIc Balbina Patrem cuſtodit: nempè Quirinum
Quàm malè Roma necat, tā benè Nata locat.

Sep. Titi. AD Cellam nouam habitaſſe fertur Siluia D. Gregorij mater, vbi nunc ędes D. Sabbę, & olim corpus Tyburtij Martyris. Neſcio quis antiquus fuerit huius loci faſtus, & quomodò Titus, & Veſpaſianus hùc acceſſerint, & pro Eccleſia Chriſtianorum, ingens arca maneat Imperatorum Gentilium. Dicerem potius ſepulchrum Tati, ſi Lunenſia, & Paria marmora rudibus Sabinorum Regum ſeculis, & oculis illuxiſſent.

S. SAB-

181 S. SABBAE.

SI nomen vertas, reuerendus Sabba fit Abbas:
Quis ſtupor Abbati ſi noua Cella datur?

182 SEPVLC. TITI, ET VESPASIANI.

ET Patris, & nati ſeruat commune ſepulchrum
Roma, nec è ſacro depulit oſſa loco;
Deliciæ fuerant hominum, quos ira miniſtros,
Vindicis ira Dei compulit eſſe truces;
Vrbem ceperunt Solymam, ſtatuere trophæa
Immeritam Chriſti cladibus vlta necem.
Arceat hos tumulo, per quos tibi Roma ſepulchrum
Vendicat, & veri libera templa Dei?

VEna perennis aquæ, quã ſoli Faunus, Picuſq; bibebant; Auentinus ille fons, vnde oracula ab Ebrio numine extorſit Numa, idem eſſe creditur, ex quo Petrus baptiſmate Romam aſperſit: hìc enim Aquila, & Priſcilla Coniuges receperunt Petrum, eademq; domus poſteà conceſſit in nomen Romanæ protomartyris Priſcæ. Itaq; fauſto huius Aquilæ auſpicio reſedit Petrus in Auentino, & Priſca ab aquilis olim defenſa in Aquilæ, & Priſcillæ titulum aduolauit. **Fõs Faun.**

183 S. PRISCAE.

HVnc Fauni fontem Petrus in baptiſmata traxit,
Dein Aquilæ titulus; nunc tua, Priſca, Domus.
Quin Aquila extinctæ tibi cuſtos adſtitit olim,
Iſtius vt fieres incola, Virgo, loci.

Hanc

Hanc Volucris numerosa Remo concedere sedem
Non potuit, volucris quam tibi sola dedit.

T. Dianæ. PRræeminet Sabina montis vertici, quem Sabini Romã recepti tenuere. Hìc olim Dianæ templum, è cuius tecto Gracchus per pontem ligneum ad alteram fluminis ripam pertransiuit. Hìc habitabat ille Sura, propiorem in Circo,& honestiorem locum sua virtute consecutus.

184 DE TEMPLO DIANAE.

SVnt procul hinc Domini, serui, ceruiq; bouesq;
Non erit hæc igitur cornibus ara frequens.

S. Sabina. HOspitata est lectissima vidua Sabina his suis ædibus peregrinam Virginem Serapiam, cui viuenti, dum se Dei templum fateretur, iussit Iudex ardentes apponi lampades, & Sabinam funeris curatricem perimi. Habet ergo Auentinus hos cineres, quos fidissimè vt Olympus custodit: Habet cineres nostræ mortalitatis indices, quos in caput nostrum singulis annis, vt æstuans Aetna, dispergit.

185 S. SABINAE.

GEntibus, & populis periit vetus ara Dianæ,
Sæpè calens flammis, sæpè cruenta focis.
Sanguine diffuso meliori victima corde
Illas extinxit Diua Sabina faces.
Hìc tibi de prisco fastu, Romane, quotannis
Exiguus superest sparsus in ora cinis;

Di-

DIuus Dominicus hoc Palatium olim Pontificis ab Honorio III. impetrauit: hìc ſua manu viuam adhuc plantauit arborem, & aurea mala direxit in Cœlum, regias verò ſuæ ſtirpis propagines felicibus Oliuæ ramis innixas diffudit in alium Orbem terrarum. Grande ſaxum, quod vides, Cacodæmon in Dominici caput proiecit; Oderat ipſe Pater Pluto Dominicũ, & verebatur ne noua plantata arbore Paradiſi portas reſeraret, quas Adami pomum clauſerat; ſed fallebatur; cùm Dominico ad aperiendos Paradiſos ſufficerent ſolæ Virginis Roſæ. D.Domin.

186 D. DOMINICOS.

PAuper erat, cui magna Domus donata, domũq;
Non habuit; Domini nam fuit ipſe domus.

AGlaia nobilis Matrona templum Herculis victoris mutauit in templum Bonifacij. Dilectus nimium Dominæ Bonifacius, è procuratore domus Dominus factus in Ciliciam ad redimenda martyrum corpora abijt, & martyr dignus templo redijt: hùc etiam remeauit relicto nouæ ſponſæ thalamo peregrinus Alexius, & ignotus ſub ſcala paternæ domus diutiſſimè vixit, perfuſus aſſiduè aquarum immunda colluuie, & lacrymis cadentibus ex oculis Patris, & ſponſæ. Templum Herculis.

187 SCALAE S. ALEXII.

MOntibus ad Cœlum ſcalam ſtatuere Gigantes;
Sub ſcala inſolitam quæris, Alexi, viam.

S. Alex. QVale robur ſanctorum Iuuenum, vt ſpontè tã proximis auellerentur delicijs? quę facinora referuntur Herculis, ſi cupidinibus proprijs fatiſcés, veriùs Amoris, quàm Oetę flammis abſumptus eſt? Corpus Hermetis Martyris hìc ſeruabatur; nunc ſola pars Capitis. Non anxiè quæras, ò hoſpes, an totos, an particulas SS. viſites; hęc eſt enim SS. MM. gloria, quorum & ſi per vniuerſum orbem ſeminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo, & ſectis eorum corporibus, & in omnibus ſanguinis guttis, integra vis, & gratia perſeuerat.

188 SS. BONIFACIO, ET ALEXIO.

E Patria fugit victor Bonifacius Aede;
Tuq; fugis Patrios, victor Alexi, lares.
Deſeruit martyr vanos fugitiuus amores;
Deſeris intacti dulcia vincla tori.
Ambo pererrato redeuntes deniq; mundo
Herculis inuicti nomina deprimitis.
Magnus Alexicacus: tamen Hercule maior vterq;
Nullaq; vos vicit fœmina, nullus amor.

Antrum Caci. ANtrum latronis Caci vbi eſt? Non ne erat in ſupercilio montis, ſuper quo ſtetetat Hercules victor? Stabat acuta ſilex præciſis vndiq; ſaxis ſpeluncæ dorſo inſiſtens altiſſima viſu: ſed quis in denſam tot ſeculorum caliginem oculos immittat?

tat? eraſit tempus montium vertices ſolatia nauigantium. Reuertere, hoſpes, in gratiam cum fato, à quo omnia reſoluuntur.

189 ANTRO CACI.

FVribus antra Caci deſunt, vbi creuit Aſylum,
Omnia plena Caco, deeſt vbi claua Deo.

IN Remuria Remus augurium captaturus inſtiterat, vbi antiquiſſimum templum Bonæ Deæ imperuium Viris, & ipſi etiam ſitiēti Herculi clauſum. Oſtendunt nunc pro Bona Dea, Aedem Virginis Auentinæ, Melitenſium Equitū ſedem. Aſcendebatur olim leniter accliue iugum, quale illud molliter decliue ad portam tergeminam; ſequimur tamen famam Vulgi, & claudimus Eccleſiarum Vrbis Chorum, ſalutata Virgine, quæ ſuo ſinu clauſit Altiſſimum. **Bona Dea.**

190 TEMPLO S. MARIAE AVENTINAE.

QVam benè Virgineæ Matri ſunt reddita tēpla,
Templa Bonæ quondam non adeunda viro?
Huc tamen Alcides ſi Clauiger appulit ille;
Aemulus Alcidæ, præſidet hìc Crucifer.
Si libeat conferre Crucem, Clauamq; latrones
Deſtruit iſta ſolo, deſtruit illa ſalo.

AN Corpus adhuc Sabini Epiſcopi in hac Virginis Aede recondatur, quis vehementer ſpondeat, cum SS. corpora ſæpè huc illuc occultè

transferantur, & prolixa temporis intercapedine clariora quæq; sua luce deficiant? Nobis eruderandæ subterraneæ Romæ gloria non datur, ad quos publicæ leuis aura famæ vix peruenit, quibus interdum inanes SS. tumbas, non minùs, quàm Sanctos ipsos adorare gloriosum est.

191 DE REMVRIA.

O Reme, cur montẽ petis, & non tendis ad amnẽ?
Aptior est Remo subdita Tybris aqua.

Tẽp. liber. ET quis nobis indicet fundamenta magni templi Lunæ, quis digito monstret templum Iunonis Reginæ, aut lineet aream libertatis. Libertati quidem Gracchus templum condidit, Asinius Pollio atrium extruxit; Sed quod aptiùs Libertati sacrarium præfigi poterat, quàm tota ciuitas, quàm Senatus, & curia, imò libera Catonis, & Bruti pectora? quibus perfossis, collabente Republica in sinum Cæsaris, ipsa libertas euasit res priuata, seruitus publica.

192 DE TEMPLO LIBERTATIS.

POstquam iura ferox in se Communia Cæsar
Transtulit, & veteres sub iuga misit auos.
Inter Auentinas laurus abiere Quirites,
Et libertati composuere domum.
Curia Pompeij magis opportuna fuisset,
Victima cui, Cæsar, grata futurus eras.
Ante vagabatur totam spatiata per Vrbem,
Tu Libertatem, Cæsar, in æde ligas.

Tan-

TAndem deuenimus ad pedes huius ingentis colossi Babylonis: deuoluimur ab Auentino ad Montem Testaceum: è terra in terram labimur, & quasi fictilia deficimus in Testas, & fragmenta. Quidquid apparet, hospes, terra est, licet altè substructa, licet auro bracteata: hùc tēdunt vota Mortalium, hùc recidunt consilia magnarum cogitationum. Terra sunt marmora, quæ nobis in tumulos erigimus: terra sunt metalla, quæ nobis in titulos elaboramus: terra sunt gemmæ, quibus nos met ipsos imprimimus: totum denique terra est, quod solùm nobis, nec diù superest sepulchrum. Mõs Test.

193 DE MONTE TESTACEO.

TVrgidus assurgit vasorum è fragmine collis,
Par quoq; nostra velut fictile vita tumet:
Vasa, sed ad molles tantum sumus integra fletus,
Mox ruit in priscum massa soluta lutum.
Vasa sumus; sed quæ lacrymis finxisse Prometheus
Fertur, & accensas apposuisse faces;
Vasa, quibus fortasse Deus suspiria fixit,
Quando hominis primam flauit in ora animam.

* * *

STATVAE.

INgens ſtatuarum prouentus, innumerabilia hominum Deorumque toreumata, per priuatas ædes, p vrbanos, & ſuburbanos hortos diſpertita. Longum opus ſingula dinumerare, aut domos, & Dominos, quos ſubindè mutant, recenſere. Magna pars è vinearum purgamentis in dies eruitur, nec minor in alienas terras tranſportatur: vt non ſine aliquo veritatis arguméto, quicquid ſignorum vbiq; terrarum mirabile eſt, Romanum iſtud eſſe cenſeatur. Imò fit, vt precioſas Antiquitatis quiſquilias, & excrementa, Barbarorum armis intacta, non Romanenſes solùm, ſed alienigenæ pariter, & Reges ſtudiosè conquirant, vt ad vrbis opera inuiſenda ſuas ad Inſulas noſtro penitus ab orbe diuiſas (ſi fieri poſſit) Romanum Orbem pelliciant. Paucis itaq; cursìm Inſcriptionem apponam, de quibus omnibus ſic aptè D. Hildebertus cecinit.

Hìc Superùm formas Superi mirantur & ipſi,
Et cuperent fictis vultibus eſſe pares;
Non potuit natura Deos hoc ore creare,
Quo miranda Deûm ſigna creauit homo.
Vultus adeſt his numinibus, potiuſq; coluntur
Artificum ſtudio, quàm Deitate ſua.

STA-

194 STATVIS ANTIQVIS.

QVæ truncata ſuis, alienis inſita ſurgunt
Tot Romanorum corpora verticibus;
Forſan erant grandes Fabij, forteſq; Catones,
Multus & in mutilo marmore Cæſar erat;
Nunc ſuper impoſitos vultus mirantur, & ora,
Fortè ſimul cerebrum degeneraſſe dolent.
Cedere multa libens non indignata vetuſtas,
Multa dedit nobis excipiendo caput.

195 STAT. MEDEAE.

VErſat opus crudele animo Medea cruento,
Fulgurat è vultu tractus amore furor,
Læua effert Puerum, ferrum fera dextera librat,
Blandulus arridet matris ad ora puer.
Torua oculis ictum teneros deſignat in artus,
Cur furioſa ſuum dextra moratur opus?
Credo ego, ne natos populo ſpectante trucidet:
Vis gladio ruat in vulnera, vade foras.

196 STAT. HOMERI SINE PEDIBVS, ET MANIBVS.

PEr freta, per ſcopulos, inimica per arma, per hoſtes
Tutus iyt captus lumine Meonides.
Aemula Roma diù cæcum miratur, & oras
Ducier in Latias imperioſa iubet.
Sed multi tentant oculos dum reddere cęco,
Diripuere manus, ſubripuere pedes.

197 STAT. FABII MAXIMI.

QVid faciat Fabius quæris? cunctatur, & hæret,
Rem sibi Romanam si mora restituat.
Nil Cremera, & Veij fuerant, nil Allia, Cannæ;
Dum steterant tantæ germina salua Fabæ.

198 STAT. DIDONIS.

HOspitia infelix Dido Troiana, fidemq;
Respicit, & stricto suscitat ense rogum.
Ah' quid in externo fidebas hospite Troiæ,
Qui patrias poterat non nisi ferre faces?
Quid nisi crudeles flammas, & cruda ferebat
Vulnera, qui tetrici frater amoris erat?
Debueras spolia infidæ spectare Lacenæ,
Quas tibi præsagas aduena cessit opes.
Quam poteras sperare fidem? data respice dona;
Ensis erat vestræ pignus amicitiæ.

199 STAT. LVCRETIAE.

QVomodo me castam potuisset credere Mundus,
Si iuxta famulum clàm iugulata forem?
Cum seruo moriar? cum libertate cadendum
Est mihi, casta cado, libera fama mea est.
Fert libertatem hoc ferrum: hoc æterna minatur
Prælia Tarquinijs, vulnera Cæsaribus.

ST.

200 ST. FAVSTINAE MAR. AVRELII.

Tam macra Faustina est, quã pictæ mortis imago,
Quàm Tremor, & letho iuncta senectus iners.
Quàm sata nocte Trias, tristiq; Acheronte propago,
Quàm vaga per Stygios quæ natat umbra lacus,
Quam quæ subsuxit graciles Erisichthonis artus
Improba depascens Caucason ore fames.
Hanc potes amplecti tàm siccam, Marce, nec horres
Grandia quæ tenuis vix tegit ossa cutis?
Quid tibi cum Furia, qua te diuellere nescis?
Non vitium carnis, Marce, sed ossis habes.

201 STAT. PORTIAE.

Vulneribus taciturna suis, satiata fauillis
Portia, quid curet funus, & exequias?
Vulnera dum sepelit, facta est sibi viua sepulchrum:
Iusta sibi soluit, dum bibit ore rogum.



AVCTOR.

NOn omnia, amice Lector, ſed præcipua ſolùm collegi. Magnum Chaos erat compræhendere quotquot volumina Scriptorum, Terræ viſcera, arcanaq; Templorũ ſuis aditis arctè cuſtodiunt. Veriſſimũ .n. de Amplitudine Romana illud percrebuit. Vniuerſitate aceruata, atq; in vnum cumulum coniecta, non alia magnitudo exurget, quàm ſi Mundus quidam alius in vno loco narretur. Itaq; clariora proſecutus, quæq; magis curioſas in mentes Peregrinorum incurrunt, Vrbem viſitaui. Rerum & locorum Monitores, præter Antiquos, habui Baronium, Onuphrium, Marlianum Ligorium, Faunum, Cittadinum, Donatum, Subterraneam Romam, Mille de Rebus & Eccleſijs Romanis libellos, Vulgi famam, Autopſiam, Traditiones Seniorum. Plures SS. Patrùm ſententias, aliorumq; Scriptorum dicta contexui. Si quid tamen interim irrepſit in hunc librum, quod veritati contradicat, ſacriſuè Cenſoribus non addicat, indictum & interdictum eſto. Tu verò errores, candide Lector, leuiores excuſa, grauiores emenda.

Vidit D. Octauianus Finat. pro Eminentiſſ. & Reuerendiſſ. Princ. Card. Columna Archiep.
Imp. *D. Hieron. Bendandus pro Reuerendiſſ. P. Inquiſ.*

Correxit Guido Vanninius Doctor, & Eques.

Roma recens, & Roma vetus certare videntur:
Palmam vtri meritam, Lector amice, dabis?

IN-

INDEX.

A

Ar-

In

Bac-

SS.

C

Cir-

Di-

Ma-

M

SS.

S.Mar-

Ro-

Bru-

Spi-

Fau-

Qui-

LAVS DEO.

Errata corrige.

pag. x lin. 1. & Regulis, in deuotis &c.
lin. 14. vendicata.
pag. 3 lin. 11. vt per ſeptem gradus &c.
52 lin. 23. Huc procul &c.
63 lin. 7. fulſit, & aſſidua &c.
148 lin. 18. exprobrat
159 lin. 14. narranti non annui; nam &c.
174 lin. 10. Hæc illa eſt, quæ ſacrum Romæ caput per ſeptuaginta annos è propria ſede diuulſum, iteratis precibus iterum ſuo corpori iunxit, quæ ſacrorum &c.
181 lin. 11. Richelius.
329 Author.



BONONIAE,

Typis Iacobi Montij, & Caroli Zeneri.
SVPERIORVM PERMISSV.
Anno MDCXXXXI. die XIV. Augusti
Pontific. Vrbani VIII. Ann. XIX.

pag.lin.
2. 23.triumphantem.7.17.hic olim.16.23.exemplari. 22. 7. ἄορ ἄωρ. 26. 18. ruinis. 40. 8. pocula. 42.18. portendunt. 51.9.Altari. 51.11. enutritam. 55.12.Chryſantes.67.25.ne latũ quidem vnguem. 80.9.quòd te. 96.18.tranſtulit. 121.2.quadriiugos. 130.12.alligata.142.23.Alexandrinam.146.22.ſub murmure.161.23.ſanaret.182.16.Quē.189.4.pancratiaſtas.206. 22.ſuperimpoſita eſt.213.16.hoſpes. 214.3.Lancearius. 235.14.Siluro. 236.13.remenſum. 242.23. Marius. 268.20. tuas decorent. 310. 17.nitratus.314.12.decies centena millia.
312.16.*Sic tamẽ arma gerens, pacẽuè, domiq́; foriſq́;*
329. 3.*Quam tremor, & tremulo ſicca ſenecta pede.*

Omiſſa minutiorum correctio, vt Marginum, Indicis, Interpunctionum, Accentuum, Maiuſcularum, Diphthong: h, y; alicuius literulæ mutatæ, deficientis, aut ſuperfluæ, vt in vocibus Porſenæ, ſqualentes, ſquamæ, Flaminius, Rochus, Zacharias, Sicinij, Agape, Brenno, Pammachius, ſulfure, ſolemne. Quæ omnia bonus Lector per ſe facilè agnoſcat, & non inhumaniter ignoſcat.

